



SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

QUIBUS EX FONTIBUS AMBROSIUS IN DESCRIBENDO CORPORE HUMANO HAUSERIT.

(AMBROS. EXAEM. VI 54—74).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GUILELMUS GOSSEL
WILHELMSHAVENSIS.



LIPSIAE
DR. SEELE & CO.
MCMVIII.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE
R. HEINZE BETHE

LIPSIAE D. VI. M. JULII A. MCMVIII.

PROCANCELLARIO
STIEDA.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

Inter Ambrosii homilias Exaemeron, quo de creatione mundi agitur, principalem locum obtinet[1]). Qui libri ex novem sermonibus sex deinceps diebus ad populum recitatis ita compositi sunt, ut libro primo tertio quinto bini, libro altero quarto sexto singuli contineantur sermones.

Quo auctore Ambrosius in his ad Genesim commentariis potissimum usus sit facile perspicitur, etsi scriptor ipse nomen eius, quem secutus est, more suo reticet. Sed edocemur Hieronymi verbis hisce[2]): „nuper Ambrosius sic Hexaemeron illius (Originis) compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur." Rectene Hieronymus de Origine Hippolytoque Ambrosii auctoribus referat difficile est diiudicatu, quod pauca tantum vel nihil ex commentariis, quos in Genesim scripserunt, aetatem tulerunt. Certius indicare possumus de Basilio Ambrosii auctore, cuius novem homiliae de creatione mundi habitae ad memoriam nostram pervenerunt. Ac suo iure Hieronymus dicit Ambrosium huius auctoris sermones compilavisse. Ille enim ex Basilio ita pendet, ut plerumque eandem dispositionem servet, saepe verba singula singulis reddat, alia Basiliana liberius et uberius interpretetur[3]). Ex editione Schenkeliana, in qua ad singulas paragraphos Basilii loci gemelli adnotati sunt, facile cognoscitur, quam arte Ambrosius ad auctorem suum se applicaverit.

---

[1]) cf. Ebert: Gesch. d. christl. lat. Literat. I 1889 p. 152: Das interessanteste u. litterarhistorisch wichtigste Werk dieser Klasse der Schriften des Ambrosius ist aber ohne Frage das von ihm in seinen letzten Lebensjahren verfasste Hexaemeron . . ."

[2]) Hieron. ep. 84, 7.

[3]) Quae ratio intercedat inter Basilium et Ambrosium exemplis illustravit Plass „De Basilii et Ambrosii excerptis ad historiam animalium pertinentibus" dissert. Marburg. 1905.

Quae cum ita sint, vix credibile est eum in Origine Hippolytoque imitandis ita versatum esse ut ex Hieronymi verbis colligi debet. Immo vero pro certo affirmari potest Ambrosium hos auctores rarius respexisse eorumque scripta ita adhibuisse, ut nonnulla, quae inde hausit, in Basilii sententiarum nexus intexeret [1]). Simili modo ceteris quoque, quos adiit, auctoribus, veluti Philone, Sallustio, Cicerone, Vergilio [2]), usus est, unde intellegimus quam peritus litterarum Graecarum et Latinarum episcopus fuerit.

Praeterea alia quoque res documento est Ambrosium minime solius Basilii vestigia pressisse. Viros doctos enim non effugit in libro sexto continuam rerum enarrationem exstare, in qua pauca tantum Basiliana inveniuntur. In extrema enim libri parte Ambrosius, postquam de ferarum bestiarumque natura egit et homines, ut sibi adtenderent, moralibus adhortationibus admonuit, ad describendas corporis humani partes se convertit in ingressu his verbis usus [3]): „Sed iam de ipso aliqua dicenda sunt corpore hominis." Deinde transit ad tractandam rem propositam et saepius optimae eruditionis praebet specimina. Sed cum Kellner [4]) inde concludat hunc tractatum testimonium esse eximiae scriptoris naturalium rerum scientiae, ego quidem vereor ne hoc verum non sit. Rem aliter se habere vel ipsius Ambrosii verba docent, qui libere confitetur se tamquam indoctum ad hanc materiam describendam aggressum esse [5]). Itaque probabilius est scriptorem in ipsa

---

1) De locis quibusdam ex Origine depromptis cf Foerster „Ambrosius, Bischof von Mailand" Halle 1884 p 115 sq. De Hippolyto Ambrosii auctore cf. Schenkl praef. p. XIV.

2) De Ambrosio Vergilii imitatore cf. Ihm, Studia Ambrosiana Ann. phil. suppl. XVII (1890) p. 82 sqq.

3) l. VI § 54.

4) Kellner: Der hl. Ambrosius als Erklärer des alten Testaments Regensburg 1893 p 83. „Grosse Kenntnisse zeigt er auf dem Gebiete der Naturwissenschaft, man darf fast sagen, ein ungewöhnliches Mass ... wenige seiner Zeitgenossen dürften den menschlichen Organismus so gekannt haben."

5) l. VI § 70: haec ideo strictim percurrimus, ut tamquam indoct

hac expositione magis quam aliis locis spectatae fidei auctores consuluisse, quorum auctoritas plurimum apud eum valebat. Qui fontes cum adhuc fere inexplorati iaceant, operae pretium esse existimo eis investigandis studium impendere.

Sed profiteor me etiam alia de causa commotum esse, ut animum in hunc Ambrosii tractatum intenderem. Nam Reifferscheidius, Suetonii reliquiarum editor tam bene meritus, uno exemplo ex Ambrosii libro sexto allato[1]) demonstravit scriptorem in his homiliis etiam eos Suetonii libros deperditos, quibus Pratum inscribebatur, respexisse[2]). Quamquam post Reifferscheidium nemo reliquiis Suetonianis apud Ambrosium servatis operam navavit, tamen Schenkl scriptorem physicas opiniones saepissime ex Suetonio repetivisse ratus de Exaemeri fontibus edit. praef. p. XVI iudicat hoc modo: „Plurima quae ad rerum naturas describendas pertinent ex Basilio, pauca ex ea quam vita suppeditat cognitione hausit, cetera fere omnia ad unum auctorem referenda sunt, Suetonium, et ad unum opus, Prata Suetonii . . .“ Cum vir doctus talem comprobet sententiam, certe magni momenti esset, si Ambrosio adiuvante clariorem et distinctiorem Prati librorum effigiem refingere possemus. Accedit quod Schanz contendit Suetonium non solum de vitiis corporalibus, ex quo scripto paucae exilesque reliquiae nunc exstant,[3]) sed etiam de sani corporis structura et partibus scripsisse[4]). Quae cum ita sint, facile eo pervenire possumus, ut credamus summam huius Ambrosianae expositionis partem ex Suetonio desumptam esse. In quam sententiam delapsus est ipse Schanz, qui de Ambrosii excerptis Suetonianis iudicat haec: Daß Ambrosius das Pratum Suetons gekannt hat, dafür steht ein sicheres Beispiel zu Gebote. Aber diese Benutzung scheint einen viel größeren Umfang

---

obvia perstringere, non tamquam medici plenius scrutare videamur et persequi, quae naturae latibulis abscondita sunt.

[1]) l. VI § 21 p. 220 Sch.

[2]) Reiffersch. Quaest. Suet. p. 443.

[3]) Suet. reliq. p 272 sq. frgm. 170—178.

[4]) Hermae vol. XXX (1895) p. 412 sqq.

einzunehmen. Besonders in dem Teile, der über den Menschen handelt und der bei Basilius fehlt, lieferte wahrscheinlich das Sueton. Werk das meiste Material[1]). Apparet, si haec sententia vera esset, hunc Ambrosii tractatum ad Suetonii libri deperditi, de quo adhuc nihil notum est, lineamenta refingenda multum collaturum esse. Itaque in disquisitione nostra id quoque examinemus, num re vera quicquam probabilitatis specie ad Suetonium auctorem referri possit.

---

§ 1.

Quo consilio et qua ratione Ambrosius de corpore humano scripserit.

Priusquam ad Ambrosii fontes investigandos nos vertamus, aliam quaestionem absolvamus. Nam rei, quae proposita est, expediendae subsidium haud parvum allatum iri puto, si prius quid scriptor enarratione sua assequi voluerit delineaverimus.

Quo consilio Ambrosius de hominis natura egerit eius ipsius verbis edocemur, qui inde a paragrapho 40 demonstrare studet solum hominem Dei similem et ad creatoris imaginem formatum esse. Vel hinc suspiceris Ambrosium in corpore humano describendo id spectavisse, ut hominem, utpote qui originem a summo Deo ducat, quam perfectissimum et omnibus corporis virtutibus exornatum depingeret. Ac re vera, cum singulas Ambrosianae expositionis partes perlustrabimus, apparebit fere omnia cum hoc scriptoris proposito bene concinere[2]).

In paragrapho 54 Ambrosius a corporis specie profectus dicit hominem statu recto celsoque et corporis venustate

---

[1]) Litt. histor. part. IV (1904) p. 292.

[2]) In sequenti conspectu locos ex libris sacris desumptos non respiciam.

omnibus animantibus multo praestare. In sequenti paragrapho (55) ostendit caput supra reliquos corporis artus ita eminere sicuti caelum supra elementa. Ex capite, cui imperialis quaedam potestas insit, omnibus membris vigorem providentiamque deferri. Deinde (56) capitis verticem summis laudibus celebrat, quo omnis aetatis sexusque hominibus mirus ornatus impertiatur. Neque tantum pulchritudini, sed etiam usui provisum et consultum esse, cum caput capillis munitum a nimio frigore et calore defendatur. In proxima paragrapho (57) Ambrosius iterum capitis praestantiam praedicat. Simili modo atque Plato caput tamquam dominum atque rectorem esse dicit, cui cetera membra servili gestamine famulentur et ancillentur[1]). Quibus expositis ad singulas capitis partes describendas aggressus incipit a fronte (58), cuius specie interioris mentis habitus exprimatur. Cum fronte supercilia coniungit, quorum munera in duobus constare ostendit, primum ut oculos a sordibus incidentibus tueantur, praeterea ut oculis decus et venustatem praeferant. — Deinde ad ipsos oculos tractandos accedit et ampliore, cum totius expositionis fines circumcisos respicis, explanatione in eorum muneribus describendis versatur (59,60). Eos speculae similes esse dicit vel exploratoribus, qui in terra summos muros aut turres aut montes, in mari antemnarum cornua explorandi causa ascendant. Ex ea, quae sequitur, parte (60) denuo clare perspicitur quo Ambrosius in scribendo intendat. Nam oculos, cum propter videndi munus locum quam altissimum, propter tutamen quam munitissimum sibi poscant, in capite locatos et superciliis, genis, narium et frontis ossibus ab omnibus offensionibus tutos esse demonstrat. Neque minus pupillas pilorum vallo tam apte custoditas esse, ut incidenti sorde non violarentur. In sequenti paragrapho (61) Ambrosius omnino aliam scribendi rationem persequitur. Haec enim pars optimae doctrinae prae se fert speciem, veluti contra Stoicos, qui cor omnium facul-

---

[1]) Plato Tim. 44 D—45 A.

tatum initium esse voluerunt[1]), scriptor contendit cerebrum initium nervorum et sensuum, cor initium arteriarum, praeterea iecur — id quod mente subaudiendum est — venarum initium esse. Sed quid omnia haec medicorum placita satis arida hoc loco sibi velint vix quisquam ex solo Ambrosio recte perspiciat. — Ex sequenti parte (62), ubi de auribus disputat, rursus clarius cognoscitur, quod propositum scriptor secutus sit. Triplex enim aurium munus esse demonstrat, primum ut capiti ornatum afferant, deinde ut sordes a vertice defluentes excipiant, tum ut interiora aurium itinera a fortiore sono tueantur. — Sed Ambrosium eo quoque descendere, ut in laudanda corporis natura inepte neque non illepide versetur, inde intellegas quod dicit ipsas aurium sordes voci ligandae utilitati haud parvae esse. In proxima paragrapho (63) scriptor ostendit etiam nares ad odores capiendos et capitis purgamenta recipienda duplici foramine utiliter instructas esse. Quibus expositis Ambrosius, postquam tactus sensum breviter attigit (64), in sequenti explanatione (65—68) de dentium, vocis, linguae, oris muneribus loquitur. Scriptorem in hac disputatione, qua demonstrat homines ratione praeditos inrationalibus animalibus multo antecedere, cum Stoicorum placitis concordare infra fusius explicabimus.

Ambrosius postquam capitis descriptioni satis copiosae finem fecit, inde a paragrapho 69 reliquarum corporis partium officia astrictius percurrit. In disputando a manibus exorsus ostendit eas, cum pericula a corpore arceant et totum capitis verticem comant, homini simul munimentum et ornatum praebere. In sequenti parte (70) de usu, quem pectoris cratis visceribus mollioribus afferret, locutus sententiam satis ridiculam probat. Dicit enim cor ideo cum pulmonibus coniunctum esse, ut, cum exardescat ira et indignatione, pulmonum sanguine et umore temperari possit. In eadem opinione iam Plato fuerat[2]), quocum Ambrosius etiam in

[1]) cf. Cic. De nat. deor. II 139 „Huc adde nervos . . . qui sicut venae et arteriae a corde tracti et profecti in corpus omne ducuntur.

[2]) Tim. 70 C.

proxima paragrapho convenit (71), ubi intestinorum usum laudat, quorum voluminibus in se redeuntibus cibi, ne cito a stomacho decurrant, providenter impediantur[1]). Deinde (72) Ambrosius exponit etiam illud ex transverso ostium et hominis inguen locum tam aptum tenere, ut eorum aspectu oculi inquinari non possint. Quibus expeditis enarrat (73) quam bene venae et ossa visceribus contegantur et operiantur. Quod in eadem parte dicit etiam caput tenui cute et capillis adversus vim imbrium et frigoris tectum esse, satis mirum esse censeo, nam supra (§ 56) idem similiter exposuerat. Denique genitalium usum ad procreandum describit, quamqam exspectandum erat, ut de hac re potius in paragrapho 72, ubi de inguine locutus erat, ageret. Itaque in hac parte rerum ordo paulum turbatus esse videtur. — In ultima huius descriptionis paragrapho (74), ubi de pedibus disputat, res tractatas plerasque ex libris sacris desumpsit, nisi quod dicit recte hominibus duos, feris ac beluis quaternos, avibus binos esse pedes. Cum hoc loco addat illud „recte", aperte hominibus cum beluis comparatis illorum praestantiam indicare vult. —

Postquam ex hoc conspectu intelleximus, quo modo scriptor materiam distribuerit et quam rationem in scribendo secutus sit, nos de fontibus maiore fide iudicare posse censeo. Nam vidimus eum de industria id agere, ut singulas corporis partes tutissimas et utilissimas esse demonstraret. Aliis locis homines ceteris animantibus opposuit et illos multo anteire diserte explanavit. Denique Ambrosius in tota hac expositione eo intendit, ut hominis naturam quam perfectissimam ostendat. Quamquam haec scribendi ratio maxime Stoicorum naturali opinioni respondet[2]), tamen scriptor compluribus locis

---

1) Tim. 73 A.

2) Comparandi causa conferas velim Ciceronis de hominis natura tractatum Stoicum, quem De nat. deor. II 133—153 praebet. Pari modo atque Ambrosius singularum partium cum pulchritudinem tum usum demonstrare studet. cf. Cic. De fin. III 18: Jam membrorum, id est partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata,

cum Platonis sententiis mire consentit, alio loco Stoicis adversa fronte repugnat. Cum accedat quod ex Ambrosii verbis modo eximia eruditio et doctrina, modo notabilis inscitia elucet, denique quod ne ordo quidem semper servatus esse videtur, vel hinc suspiceris totum tractatum ex compluribus fontibus conflatum esse.

---

§ 2.

De Basilio Ambrosii auctore.

In Exaemeri fontibus investigandis primum inquirendum est, num Ambrosius ex Basilii sermonibus ullo modo pendeat. Haec quaestio in enarratione nobis proposita facilius expediri potest, quod Ambrosius paucissima tantum ex Basilio, qui idem propositum perquam breviter perstringit[1]), in suum usum convertit. Tamen, ne quicquam neglegamus, ea frustula Basiliana, quae Ambrosius in orationem inseruit, astricte percenseamus.

Primum exemplum, quod Ambrosium imitandum sibi proposuisse Schenkelio assentior, in Basilii oculorum descriptione invenitur, ubi exstat (216 D): *Ὀφθαλμοὶ μέν γε τὴν ὑψηλοτάτην σκοπιὰν κατειλήφασιν, ὥστε μηδὲν αὐτοῖς τῶν τοῦ σώματος μορίων ἐπιπροσθεῖν . . . ἐκ τῆς ἄνωθεν ἐξοχῆς πρὸς τὸ εὐθὲς ἀποτείνονται.* Pari modo Ambrosius oculos cum specula quadam in summo locata comparat (§ 59): „oculi . . in summo locati de quadam scaena superiore universa prospectent . . . specula enim semper ex alto est . . .“ Quam recte Schenkl adnotet Ambrosium hoc loco Basilium imitari infra clarius agnoscetur. — Praeterea alio loco consensus quidam inter utrumque scriptorem negari nequit. Basilius enim cum dicat

---

ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit, a medicis etiam disputatur, alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum ut . . . viris mammae atque barba.

[1]) Patr. Gr. vol. XXXI p. 216 D — 218 A.

(218 A): *Ὀδόντες ὁμοῦ μὲν φωνῆς ὄργανα . . . ὁμοῦ δὲ καὶ τροφῆς ὑπηρέται: οἱ μὲν τέμνοντες αὐτήν, οἱ δὲ λεαίνοντες* duplicem dentium usum similiter explicat atque Ambrosius (§ 66) „quid ego describam dentium vallum, quo conficitur cibus et plenae fit vocis expressio?" ubi Ambrosius Basiliani enuntiati non tam verba quam sensum reddere videtur. — Denique Schenkl unum affert exemplum, quod in eis sermonibus Basilio ascriptis, quibus De structura hominis inscribitur, occurrit. Quamquam Ambrosius cum his sermonibus ceteroquin nihil habet commune, tamen uno loco scriptorum sententiae sibi respondent. Nam ille sermonum scriptor de avibus et beluis locutus homines mentis vigore similiter efferri atque aves alarum volatu hoc modo describit[1]): *Εἴπω σοι περὶ τῶν πετομένων, ὅτι οὐκ ἀναβαίνει μὲν ὁ ἄνθρωπος εἰς τὸν ἀέρα σώματι, οὐ γὰρ ἔχει πτερά, συμπαρίπταται δὲ τοῖς πτηνοῖς τῇ τοῦ νοῦ δυνάμει. οὐδὲν κατέχει τὸν τοῦ ἀνθρώπου λογισμόν.* Eandem sententiam Ambrosius his verbis exprimit (74): „unus quasi de volatilibus est homo, qui alta visu petat et quodam remigio volitet sublimium sagacitate sensuum." Videmus Ambrosium eandem sibi fingere imaginem. Cum accedat, quod haec sententia apud reliquos auctores, quos Ambrosius in hoc tractatu consuluit, non invenitur, ego quidem non negaverim eum hoc loco illum sermonem respicere. —

Praeter haec exempla ex Basilio nihil colligitur. Quam pauca inde lucremur ad Ambrosii tractatum interpretandum, vix opus est explanare. Nam ea, quae Ambrosius huic auctori debet, levioris sunt momenti neque quicquam conferunt ad explicandam scriptoris scribendi rationem supra adumbratam. Totum expositionis fundamentum, quod in describenda corporis perfectione positum est, Ambrosius apud Basilium reperire non potuit, sed ex aliorum auctorum enarrationibus repetivit. Itaque ad explorandos hos principales auctores iam accingamur.

---

[1]) Patr. Gr. XXX p. 24 Nr. 13.

§ 3.

De Galeno Ambrosii auctore.

Inter omnia Galeni opera ei libri, quibus *Περὶ χρείας μορίων* inscribitur, singularem sibi vindicant locum. Nam in describendo corpore humano Galenus eam regulam, quae paucis verbis *Φύσις οὐδὲν μάτην* comprehenditur, nusquam tanto studio secutus est quanto in his de usu partium libris. Omnia, quae explanantur, huic rei demonstrandae inserviunt, nam Galeno persuasum est in toto corpore nihil inveniri, quin aliquid ad hominis salutem adferat. Quaestionibus subtilissimis spinosissimisque tractatis semper eo revertitur, ut singularum partium utilitatem et totius corporis indolem perfectam absolutamque ostendat. Ipse saepius claris verbis confitetur, quo consilio ad hos libros conscribendos adierit, ut unum locum afferam (v. III p. 249 K): *καί σοι κἀνταῦθα πρῶτον μὲν ἀναμνηστέον τῆς κατ' ἀρχὰς ῥηθείσης μεθόδου, καθ' ἣν ἐλέγομεν ἑκάστου τῶν μορίων τὴν χρείαν εἰς τὴν ἐνέργειαν ἀναφέρεσθαι χρῆναι τοῦ σύμπαντος ὀργάνου· δεύτερον δ' ὡς, εἰ πάνθ' ὑπαλλάττοντες αὐτῶν τῷ λόγῳ μήτε θέσιν εὑρίσκοιμεν ἑτέραν τῆς νῦν οὔσης βελτίω μήτε σχῆμα μήτε μέγεθος μήτε πλοκὴν μήθ' ὅλως τι τῶν ἄλλων, ἃ τοῖς σώμασιν ἅπασιν ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει, τελεωτάτην ἀποφαίνεσθαι δεῖ καὶ πάντῃ κατωρθωμένην τὴν νῦν αὐτοῖς οὖσαν κατασκευήν.* Itaque Galenus id spectat, ut omnes corporis partes usum quendam praebere demonstret, nam ea, quae supervacanea et inutilia sint, potius abscindenda esse existimat[1]). Saepius conditoris sapientiam et bonitatem tam diserte laudibus celebrat, ut a Christiano hos libros compositos esse putaveris[2]).

---

[1]) cf. l. XVII vol. IV p. 347.

[2]) cf. l. III v. III p. 237 *νομίζω τοῦτ' εἶναι τὴν ὄντως εὐσέβειαν, οὐκ εἰ ταύρων ἑκατόμβας αὐτῷ παμπόλλας καταθύσαιμι, καὶ τάλαντα μυρία θυμιάσαιμι κασίας, ἀλλ' εἰ γνοίην μὲν αὐτὸς πρῶτος, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγησαίμην οἷος μέν ἐστι τὴν σοφίαν, οἷος δὲ τὴν δύναμιν, ὁποῖος δὲ τὴν χρηστότητα.*

Talem scribendi rationem Christianis posterioris aetatis valde arrisisse mirum non est. Quanti etiam Ambrosius eius de usu partium libros aestimaverit ex tractatu nobis proposito me comprobaturum spero. —

Galenus octavo et nono libro de capitis partibus, decimo de constructione oculorum agit.

Ineunte libro VIII (p. 609) disputationis initium inde capit, quod complura animalia, veluti carabos et cancros, capitis expertia esse dicit. Deinde in capp. 2 4 instituit quaestionem, quam ob rem caput factum sit. Qua in disputatione ex falsa opinione a plurimis hominibus probata proficiscitur, qua caput propter cerebrum factum esse eademque de causa videndi audiendi odorandi gustandi sensus capite contineri credebatur. Quam futilis sit haec opinio eo evinci Galenus existimat, quod et cancri et animalia molli crusta intecta, quamquam caput eis omnino non sit, eisdem sensibus, qui ex pectore originem ducant, instructi sint. Galenus ita ratiocinatus eorum sententiam, qui caput propter cerebrum exstitisse voluerunt, refutasse sibi videtur (cf. p. 629). Deinde insequenti capite 5 (p. 630 - 636) quae vera sit causa capitis plurimis animalibus generati demonstrandum suscipit. Quam argumentandi viam in hac parte ingressus sit ideo paulo accuratius exponam, quod ex hoc capite Ambrosii imitandi ratio clarissime illustratur.

Galenus in disputatione sua pro explorato habet id, quod in aliis operibus iam demonstraverat, scilicet cerebrum omnium sensuum esse principium (p. 625). Deinde concludit propter cerebrum caput non esse factum, quod cancris et scarabaeis sensuum principium in pectore locatum sit, neque magis propter os, aures, nares caput esse necessarium, quod hae quoque partes illis animantibus in pectore sint constitutae (p. 630). Itaque ex hac ratiocinatione effici existimat caput propter eos sensus factum esse, qui animalibus capite carentibus in pectore non locati sint, i. e. propter oculos. Nam eorum situm supra summum verticem esse, ut veluti speculatores omnia pericula imminentia denuntiare possint (631—632).

Quibus explanatis ad hominum oculos transit breviterque exponit eos in capite collocatos et tutissimum et ad videndum aptissimum locum obtinere (632 – 633). Deinde ad aliam rem expediendam aggressus quaestionem sibi proponit, cur etiam ceteri sensus, scilicet aures nares os, eodem modo atque oculi in capite constituti sint. Causam huius rei inde repetit, quod duo nervorum genera esse dicit, alterum durorum, alterum mollium. Quos nervos diversis fungi muneribus. Nam molles nervos valde patibiles, qui rebus forinsecus oculis auribus naribus sapori illatis facilius afficerentur, in sensuum instrumenta disseminatos, sed nervos duros, quippe qui ad agendum aptiores essent, ad motus efficiendos musculis insertos esse (633—635). Priores autem nervos adeo molles esse, ut, si in corporis partes remotiores deducerentur, facillime laederentur et contunderentur. Itaque a natura providenti omnes sensus prope sensuum principium, scilicet cerebrum, collocatos esse. Quibus expositis Galenus id, quod a principio quaerebat, assecutus eis, qui caput propter cerebrum factum esse contenderunt, opponit hoc (p. 635—636): *Φαίνεται γὰρ ὁ μὲν ἐγκέφαλος ἐν τῇ κεφαλῇ τετάχθαι διὰ τοὺς ὀφθαλμούς, ἕκαστον δὲ τῶν ἄλλων αἰσθητηρίων διὰ τὸν ἐγκέφαλον.*

Postquam Galeni argumentandi rationem paucis adumbravimus, singulas huius expositionis partes perspiciamus et quo modo Ambrosius eas e sententiarum nexu solutas in suum usum converterit examinemus.

Galenus, ut modo vidimus, inde proficiscitur quod cancrorum et scarabaeorum oculos supra cervices praelongas positos aptissimum locum tenere dicit. Qua in enarratione cum oculos cum exploratoribus, qui spectandi causa turres aut navium cornua ascendant, comparet, haec scribendi ratio tam bene exornata Ambrosium ita delectavisse videtur, ut lubenter eam sequeretur. Quae ratio inter utrumque scriptorem intercedat ex locis collatis apparebit.

Galen. p. 631.	Ambros. § 59—60.
ὀφθαλμοὶ καὶ καρκίνοις καὶ φαλαίναις καὶ καράβοις καὶ	

πᾶσι τοῖς ἀκεφάλοις ζῴοις ἐπ᾽ αὐχέσι προμήκεσιν ἔφυσαν. οὐ γὰρ ἐνεχώρει ταπεινοὺς εἶναι καὶ τούτους, ὥσπερ στόμα τε καὶ ῥῖνας καὶ ὦτα· τὸ γὰρ ἔργον αὐτῶν ὑψηλοῦ δεῖται χωρίου.

ταῦτ᾽ ὅρα καὶ ὅσοι πολεμίων ἔφοδον

ἢ λῃστῶν προσκοποῦνται, τείχεσί τε καὶ πύργοις ὑψηλοῖς ἢ καί τισιν ὄρεσιν ἐπαναβαίνουσιν.

ἀλλὰ καὶ ὅσοι ταῖς κεραίαις τῶν πλοίων ἐπανίασι, πρότεροι τὴν γῆν καθορῶσι τῶν ἐν τῇ νηὶ πλωτήρων. ὁ γὰρ ἐπὶ μετεώρου βεβηκὼς πλείονα χωρία θεᾶται τῶν ἐκ ταπεινοτέρου.

cf. Galenum supra.

neque enim oportebat eos humiles esse sicut aures vel os ipsosque narium interiores sinus. specula[1]) enim semper ex alto est,

ut advenientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne inproviso occupent otiantem vel urbis populum vel imperatoris exercitum, sic latronum quoque caventur incursus, si exploratores in muris aut turribus aut montis excelsi supercilio sint locati, ut desuper spectent plana regionum, in quibus insidiae latronum latere non possint. in mari quoque positus si quis terrae adpropinquare se conicit, in ipsa mali fastigia et celsa antemnarum cornua voti explorator ascendit et adhuc invisibilem reliquis navigantibus eminus terram salulat. ac forte dicas: si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt sicut cancris vel scarabaeis in summo sunt, quibus licet nullum caput adpareat, colla ac dorsa tamen

[1]) Cum Galeni vocabulum ἔργον Ambrosio frigidius esse videretur, illud poetice dictum σκοπιά = „specula“ ex Basilii simili sentenatirum nexu petitum in Galeni orationem substituit.

τοῖς οὖν εἰρημένοις ζῴοις, ὀστρακώδές τε καὶ σκληρὸν ἔχουσι τὸ δέρμα, δυνατὸν ἦν ὑψηλοῖς αὐχέσιν ἀσφαλῶς ἐπιθεῖναι τοὺς ὀφθαλμοὺς . . . . ἀνθρώποις δὲ . . . προμήκεσιν αὐχέσιν προπετεῖς ὀφθαλμοὺς ἐπιθεῖναι σφαλερώτερον ἦν.

cetero corpore celsiora sunt? sed illis testa valida nec tam tenuis membrana sicut nobis, quae facile possit offendi, ruboque et ceteris interscindi sentibus.

Videmus summum ratiocinationis, ordinis, quin etiam verborum concentum inter Galenum et Ambrosium intercedere. Neque tamen hic Galenum ita compilavit, ut omnia ad verbum inde transferret, sed eadem fere, quam in Basilio imitando secutus est[1]), exscribendi ratio hoc quoque loco observatur. Nam auctoris expositionem ita adhibuit, ut longioribus verborum ambagibus usus digressiones et excursiones de suo adiceret, alia, quae ei frigidiora esse videbantur, omitteret. Quam artificiose Ambrosius Galeni enarrationi vim quandam addat cum aliis exemplis multifariis tum illo „specula" edocemur, quod ex Basilio arcessitum pro Galeni verbo ἔργον posuit. Sed alia quoque ratione liquidam et vividam orationem efficere studuit. Ut unum exemplum afferam, Galenus verbis satis aridis simplicibusque usus enarrat ὀφθαλμοὶ καὶ καρκίνοις καὶ φαλαίναις καὶ καράβοις καὶ πᾶσι τοῖς ἀκεφάλοις ζῴοις ἐπ' αὐχέσι προμήκεσιν ἔφυσαν. Ambrosius autem eandem sententiam complexus tanquam miratus interrogat: „ac forte dicas: si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt sicut cancris vel scarabaeis in summo sunt . . ?" — Sed gravissimum discrimen, quo totus Galeni enarrationis sensus prorsus immutatur, primo obtutu conspicitur. Galenus enim, cum oculos exploratorum muneribus fungi dicat, totam disputationem ad cancrorum, Ambrosius eandem expositionem ad hominum oculos refert. Qua in re an Ambrosius in melius aberraverit ego quidem dubitem. Galeni enim verba οὐ γὰρ ἐνεχώρει ταπεινοὺς εἶναι καὶ τοι-

[1]) cf. Plass l. c. p. 37 sqq. Schenkl praef. p. XIII.

τους, ὥσπερ στόμα τε καὶ ῥῖνας καὶ ὦτα ad cancros relata optimum praebent sensum. Nam fingas tibi velim cancrum, cuius oculos, cum protendantur, veluti speculatores turres vel navium cornua ascendere Galenus insigni comparatione usus dicit. Sed omnino aliter res se habet apud Ambrosium, qui cum dicat „neque enim oportebat eos humiles esse sicut aures vel os ipsosque narium interiores sinus“ ipsa Galeni verba fere integra transcribit, sed ad homines relata meo quidem iudicio male interpretatur. Hominum enim oculi altitudine a ceteris sensuum instrumentis, veluti auribus, vix differunt, cum c[illegible]crorum oculi supra summum verticem locati auribus re vera multo altiores sint. Itaque Galeni enuntiati sensus sanus ab Ambrosio non tantum immutatus, sed etiam depravatus esse mihi videtur.

Ambrosius cum pergat oculos cum exploratoribus comparare, in hac quoque re a Galeno longe deflectit. Tamen concedendum est eum huius enuntiati sensum ad hominum oculos relatum non sine arte ad suum usum accommodasse.

Denique totum Ambrosii sententiarum contextum a Galeni prorsus alienum esse vix est cur longius exponam. Apud Galenum enim haec disputatio ex tota argumentatione unum membrum est, cum ex Ambrosii verbis nullo modo colligatur, cui rei demonstrandae haec expositio inserviat.

Ex tali scribendi ratione imitator agnoscitur, qui, quamquam uberiore et splendidiore verborum ornatu utitur, auctoris exempla suo arbitrio immutata in alium sententiarum nexum transfert. —

Sed examinemus reliqua exempla. Supra vidimus Galenum, postquam de cancrorum et scarabaeorum oculis egit, eo procedere, ut hominum oculos tutissime et aptissime in capite collocatos esse ostenderet. Apparet hanc expositionem Ambrosii consiliis optime respondisse. Itaque non mirabimur, quod iterum Galeni sententias arripuit et suo more interpretatus est.

Galen. p. 632.	Ambros. § 60.
	nobis autem in summa corporis parte constitui oculos

	oportuit tamquam in arce[1]) et ab omni vel minima offensione defendi, quae duo sibi compugnantia videbantur. nam
ἐπεὶ τοίνυν τὸ μὲν ἐν ταπεινῷ τεθῆναι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἡμῶν οὐ κατὰ τὴν χρείαν ἦν αὐτῶν,	si in humili essent propter tutamen, munus impediretur,
τὸ δ᾽ αὐχέσιν ἐπιτεθῆναι γυμνοῖς οὐκ ἦν ἀσφαλές, ἐβούλετο δὲ ἡ φύσις μήτε τῆς χρείας κωλῦσαί τι μήτε τὴν ἀσφάλειαν διαφθεῖραι,	si in vertice, paterent ad iniuriam.
ἐξεῦρεν ἐργάσασθαι μόριον αὐτοῖς ὑψηλόν τε ἅμα καὶ φρουρεῖν ἱκανόν,	itaque ne vel usu muneris aliquid detraheretur vel aliquid ad propulsandam iniuriam prospiceretur, eo loco oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum prote-
ἄνωθεν μὲν ὀρφῦς ὑπερθεῖσα	ctionis inpertiant,
κάτωθεν δὲ τὸ καλούμενον μῆλον ὑψώσασα,	subter malae aliquantulum elevatae haut exiguum munitionis adiungant, interiorem
τοῖς δ᾽ ἐντὸς μέρεσι τὴν ῥῖνα παραθεῖσα, τοῖς δ᾽ ἐκτὸς τὴν τοῦ καλουμένου ζυγώματος ἔκφυσιν.	partem saepiant nares, exteriorem quoque frontis malarumque gibbi extuberantes . . .

Manifestum est Ambrosium iterum Galeni vestigiis institisse, nam auctoris ordine servato id assequi studet, ut duobus compugnantibus, scilicet tutamini et muneri, in oculis aptissime collocandis praecautum et provisum esse ostendat. In singulis sententiis interpretandis eandem fere, quam supra observavimus, imitandi rationem adhibuit, cum alias res ab auctore tractatas copiosius et uberius, alias strictius describat.

---

[1]) Schenkelium recte adnotare Ambrosium hoc verbum e Cicerone (De nat. deor. II 140) mutuatum esse inde apparet, quod apud Galenum vox ἀκρόπολις desideratur.

Quam accurate etiam ipsa verba transferat, docet illud „maae“, quo vocabulo auctoris verbum *μῆλον* reddit[1]).

Quibus expeditis ad alia exempla progrediamur. Supra cognovimus Galenum, postquam demonstravit caput propter oculos factum esse, duo nervorum genera, scilicet mollium et durorum, discernere. Quo modo Ambrosius hanc partem imitatus sit ex locis comparatis patebit.

Galen. p. 633.	Ambros. § 61.
τῶν αἰσθητηρίων ἓν ἕκαστον νεύρου δεῖται μαλακοῦ. νεύρου μέν, ὅτι τοῦτ᾽ ἔστιν αἰσθήσεως ὄργανον, μαλακοῦ δέ, ὅτι διατεθῆναί πως δεῖ καὶ παθεῖν τι τὸ αἰσθητήριον ὑπὸ τοῦ προςπεσόντος ἔξωθεν, ἵν᾽ αἴσθησις γένηται.	sensuum autem singulorum velut organum nervi sunt . . .[2])
ἔστι δὲ πρὸς μὲν τὸ παθεῖν ἐπιτηδειότερον τὸ μαλακόν, πρὸς δὲ τὸ δρᾶσαι τὸ σκληρόν.	quod enim molle ad conpassionem aptius, quod autem durum ex aliquo rigore nervorum ad agendum efficacius.

Observamus Ambrosium auctoris placita disputandi ordine prorsus neglecto ita convertisse, ut nihil adderet nisi illud „ex aliquo rigore nervorum“, ex quibus verbis meliorem corporis naturae scientiam elucere vix quisquam contendat. Neque difficile est intellectu, cur Ambrosius in tota hac parte (§ 61) auctoris sententias fere nudas incomptasque reddat. Galenus enim omnia haec exempla in disquisitione tam difficili subtilique praebet, ut Ambrosius, si res maioris momenti de suo adiecisset, certe facillime in errores incidisset. Itaque

---

[1]) Cicero easdem res simili, sed non eodem modo describit: (De nat. deor. II 148): „genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae leniterque eminentes; nasusque ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse videatur.“ Itaque Schenkelio, qui Ambrosium hunc Ciceronis locum sibi proposuisse censet, non adstipulor.

[2]) Ea, quae Ambrosius huc inseruit, apud Galenum paulo post (p. 636) leguntur.

Ambrosius Galeni tractatum paucis digressionibus exceptis non modo non amplificavit, sed adeo in angustius coegit, ut sensus plus semel obscurus sit. Nam perlegas quaeso Galeni expositionis ratione non habita Ambrosii verba, ubi de nervis sensuum internuntiis locutus pergit: „quod enim molle ad compassionem aptius, quod autem durum ex aliquo rigore nervorum ad agendum efficacius.“ Quid hoc sibi vult? Cum Ambrosius non addat duo nervorum genera esse, quorum alii aliis funguntur muneribus, illius enuntiati sensus ex solo Ambrosio comprehendi non potest. Itaque hoc quoque exemplum docet Ambrosium auctorem ita imitatum esse, ut nonnullas Galeni enarrationis partes fere integras, sed ex sententiarum nexu solutas in suum usum converteret.

Quibus probatis pergamus ea, quam ingressi sumus, via. Supra vidimus Galenum ex tota argumentatione concludere cerebrum propter oculos in capite constitutum esse, reliquos autem sensus propter cerebrum. Eandem opinionem etiam Ambrosius Galeni verbis usus comprobat hoc modo:

Galen. p. 635 – 636.	Ambros. § 61.
τὸ ἐξ ἀρχῆς ζητούμενον ἤδη πέρας ἔχει.	
φαίνεται γὰρ ὁ μὲν ἐγκέφαλος ἐν τῇ κεφαλῇ τετάχθαι διὰ τοὺς ὀφθαλμούς, ἕκαστον δὲ τῶν ἄλλων αἰσθητηρίων διὰ τὸν ἐγκέφαλον.	Itaque propter oculos ferunt medendi periti cerebrum hominis in capite locatum, alios autem nostri corporis sensus propter cerebrum finitimo quodam esse domicilio constitutos.

Qui sint illi medendi periti, quos Ambrosius testes advocat, facile perspicitur: nemo nisi Galenus, qui iam Ambrosii aetate inter omnes medicos principalem locum obtinebat[1]). Itaque Ambrosius, ut suis verbis pondus et firmamentum addat, unius auctoritate confisus se omnium medicorum dogma reddere dicit.

[1]) Jam Eusebii temporibus erant, qui Galeno divinos honores tribuerent, cf. Eus. Hist. eccles. V. 28 *Γαληνὸς γὰρ ἴσως ὑπό τινων καὶ προσκυνεῖται.*

Ipsum Galeni exemplum Ambrosius fere ad verbum transtulit. Sed eo ab auctore paululum discedit, quod verborum positione immutata incipit „itaque propter oculos . . .“ Verba ita ponere ideo maluit, ut hanc partem proximae paragrapho, ubi de oculis egit, artius annecteret. Tamen hoc sententiarum conexu me offendi concedo. Nam cum ex eis, quae praecedunt, hoc medicorum placitum nullo modo efficiatur, non video cur Ambrosius concludentis coniunctione „itaque“ utatur. Aliter res se habet apud Galenum, qui subtili disquisitioni finem imponit verbis usus *τὸ ἐξ ἀρχῆς ζητούμενον ἤδη πέρας ἔχει. φαίνεται γὰρ ὁ μὲν ἐγκέφαλος κτλ.*

Quod ad ipsam elocutionem attinet, Ambrosius, cum dicat sensus domicilio quodam esse constitutos, auctoris sermoni aridiori hoc quoque loco ornatum quendam et amplitudinem addere studet. —

Sed ad aliud exemplum transeamus. Modo vidimus Galenum eam quaestionem, quam ineunte libro VIII instituerat, capite V absolvisse. In sequenti expositione (cap. VI sqq) singulas capitis partes tractandas suscipit disputationis initio a cerebri substantia ducto. Ineunte hac parte ostendit cerebrum, ex quo omnes nervi oriantur, his nervis esse mollius (p. 636). Cuius rei causam eam esse dicit, quod molle cerebrum duro multo aptius sit ad accipiendos affectus et imaginationes sensibus illatos. Ambrosium ex hac quoque parte, quae cum rebus ante tractatis minime cohaeret, nonnulla excerpsisse ex locis collatis tibi persuadebis:

Galen. p. 636.	Ambros. § 61.
οὗτος (ἐγκέφαλος) μὲν οὖν τὴν μὲν οὐσίαν ὁμοιότατός ἐστι τοῖς νεύροις, ὧν ἔμελλεν ἀρχὴ γενήσεσθαι, πλὴν ὅσῳ μαλακώτερος αὐτῶν ὑπάρχει. καὶ γὰρ καὶ τοῦτ' ἔπρεπε τῷ πάσας μὲν εἰς αὐτὸν τὰς αἰσθήσεις ἐκδεχομένῳ.	ideoque mollius est ceteris cerebrum, quia omnis suscipit sensus.

Denuo observamus Ambrosium auctoris expositionem adeo circumcisam reddere, ut quae vera sit eius sententia non facile

intellegatur. Nam causam principalem, cur cerebrum mollius factum sit, omnino non attingit, cum Galenus accurate exponat molle cerebrum duro facilius affici et pati. Tamen concedendum est Ambrosium hunc locum, qui apud Galenum in sententiarum nexu prorsus alieno occurrit, tam artificiose cum reliquis placitis e Galeno depromptis coniungere, ut eius oratio minime salebrosa sit.

Quibus expeditis plerosque Ambrosii locos, qui in paragrapho 61 eruditionis speciem prae se ferunt, ad Galenum auctorem rettulimus. Unum tantum locum adhuc praetermisimus, qui, quod fundamentum est Galeni de corpore humano opinionis, in plurimis eius operibus magni momenti est. — Supra enim vidimus Galenum quaerentem, cur caput factum sit, inde proficisci, quod in aliis libris demonstraverat, scilicet cerebrum omnium sensuum esse principium. Quam sententiam ineunte capite IV p. 625 his verbis exprimit: *Ἅπερ οὖν ἐν ἑτέροις ἀποδέδεικται, λαμβανέσθω καὶ νῦν εἰς τὸν παρόντα λόγον. ἀποδέδεικται δὲ ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων, ἀρχὴν μὲν νεύρων καὶ συμπάσης αἰσθήσεώς τε καὶ τῆς κατὰ προαίρεσιν κινήσεως τὸν ἐγκέφαλον ὑπάρχειν, ἀρχὴν δὲ ἀρτηριῶν καὶ τῆς ἐμφύτου θερμασίας τὴν καρδίαν*, ubi Galenus, si hoc dogma integrum attulisset, iecur initium venarum esse addidisset. Sed hoc commemorare supersedit, quod supervacuum fuit ad demonstrandam rem propositam. — Recte Galenus dicit se in libris de Hippocratis et Platonis placitis de illis tribus principiis egisse, nam verbosissime et copiosissime hoc dogma contra multos adversarios defendit, inprimis contra Aristotelem [1]) Peripateticosque, contra Chrysippum Stoicosque, qui cor venarum et nervorum originem esse statuebant [2]). Neque minus Platonem, qui ignorabat nervos instrumenta esse sensuum et voluntariae commotionis [3]), qui praeterea

---

[1]) cf. ed Kühn vol V p. 187, 200, 206 al.

[2]) vol. IV p. 674. *Τί ποτ' οὖν ἔδοξε Χρυσίππῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς φιλοσόφοις Στωϊκοῖς τε καὶ Περιπατητικοῖς ἀποφήνασθαι περὶ καρδίας ὡς . . τῷ πρώτως διαπλασθέντι καὶ φλεβῶν καὶ νεύρων ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ἀρχήν.*

[3]) cf. Susemihl „Entwickelung d. Platon. Phil.“ II 418.

venas et arterias non distinxit, reprehendit vel potius excusare studet[1]). Praeterea multos alios adversarios impugnat, veluti Erasistratum, qui cor venarum et arteriarum principium esse volebat[2]), quin etiam praeceptorem suum Pelopem, qui cerebrum et nervorum et venarum et arteriarum principium esse docuerat[3]). Neque tamen Galeno contigisse videtur, ut adversariis suis persuaderet. Nam in commentariis, quos ad Platonis Timaeum composuit, conqueritur se, quasi alucinationes et ineptias protulisset, ab illis propter hanc opinionem illudi et irrideri[4]).

Postquam ex his paucis exemplis cognovimus quanti momenti hoc dogma in Galeni libris sit, ad rem supra tractatam redeamus. Idem dogma, quod ibi Galeni argumentationis fundamentum est, probat Ambrosius, quin etiam dicit plerosque suae aetatis homines huic opinioni assentiri.

Galen. p. 625.	Ambros. § 61.
ἀποδέδεικται δὲ ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων, ἀρχὴν μὲν νεύρων καὶ συμπάσης αἰσθήσεώς τε καὶ τῆς κατὰ πρυαίρεσιν κινήσεως τὸν ἐγκέφαλον ὑπάρχειν,	initium enim nervorum et omnium sensuum voluntariae commotionis cerebrum est atque inde omnis eorum quae diximus causa manat.
ἀρχὴν δὲ ἀρτηριῶν καὶ τῆς ἐμφύτου θερμασίας τὴν καρδίαν.	initium autem arteriarum et insiti caloris, quo animantur et tepefiunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur.

---

[1]) vol. V 575, 581, cf. comment. in Plat. Tim frgm. VII (ed. Daremberg).

[2] vol. V 552, 555.

[3]) vol. V 527, 544.

[4]) cf. frgm. II. *Σχετλιαζέτωσαν οὖν, ὡς ἔθος αὐτοῖς ἐστι, γελῶντες θ' ἅμα καὶ βωμολοχευόμενοι καὶ διασύρον:ες ἱμῶν τὸν λόγον, ὡς ληρούντων, εἰ τρεῖς λέγομεν ἃς ἀπέδειξα, κατὰ μὲν τὸν ἐγκέφαλον ἀτὴν ρχὴν εἶναι τῶν νεύρων τε καὶ προαιρετικῶν κινήσεων, ἔστι δὲ πρὸς τούτοις αἰσθήσεων πέντε, κατὰ δὲ τὸ ἧπαρ αἵματός τε καὶ φλεβῶν καὶ τοῦ τρέφεσθαι τὸ σῶμα καὶ τοῦ γνωρίζειν τὴν τ' οἰκείαν οὐσίαν εἰς τοῦτο, κατὰ δὲ τὴν καρδίαν ἀρτηριῶν καὶ τῆς ἐμφύτου θερμασίας. . . .*

Hoc quoque loco Ambrosius pleraque ad verbum e Galeno transtulit, nisi quod eandem compilandi rationem atque supra secutus auctoris exemplum verbis vel brevibus digressionibus, ex quibus melior naturalium rerum cognitio vix unquam agnoscitur, amplificavit. Praeterea videmus Ambrosium auctoris ordinem in ipsum contrarium vertisse. Nam ineunte paragrapho 61 ea, quae Galenus ex subtili argumentatione concluserat, affert, deinde hunc locum praebet, a quo Galenus disputandi initium ceperat.

Quibus demonstratis eo pervenimus, ut pleraque, quae in paragr. 59—61 leguntur, Galeno auctori assignare possimus. Quae cum ita sint, etiam intellegitur, cur Ambrosius in paragr. 61 aliam scribendi rationem adhibuerit atque in ceteris partibus. Nam illo loco medicorum placita satis arida praebet, cum in reliqua expositione fere semper eo intendat, ut singulas corporis partes quam perfectissimas ostendat. Quae generis dicendi varietas ex Galeno explicatur, qui, cum certam rem demonstrare vellet, in sua disquisitione corporis humani perfectionem minus respicere potuit. Galenum autem secutus est Ambrosius, qui non modo res tractatas, sed etiam dicendi colorem auctori suo debet. —

Postquam hoc comprobavimus, redeamus ad paragraphum 60, ubi Ambrosius ea, quae de oculis ab omni parte munitis profert, e Galeno mutuatus est. Sed hoc auctore uberius etiam de oculorum orbibus, de palpebris, ciliis disputat, de quibus Galenus in illo tractatu nihil dicit. Tamen persuasum habeo Ambrosium in hac quoque expositione, in quam nonnullos locos e libris sacris desumptos inspersit, Galeni doctrina niti. Itaque videamus, quid probabilitatis specie ad hunc auctorem referri possit. —

Ambrosius postquam oculorum situm undique munitum praedicavit, eorum crystallinam speciem laudat, cum dicat: „inter haec medii sunt oculorum orbes . . . in crystalli speciem refulgentes.“ Similiter Galenus in eodem tractatu oculorum crystallinum humorem, in quem nervi molles inserantur, commemorat verbis usus (p. 635) *τὰ δὲ* (sc. *νεύρων*

εἰς τὸ πρῶτόν τε καὶ κυριώτατον ὄργανον τῆς ὄψεως, τὸ κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν (ἐμφύεται). Quamquam hic Galeni locus in alio sententiarum nexu occurrit, tamen nos opinantes Ambrosium auctoris exemplum bene ad suum usum accommodasse non longe a vero aberrare puto. Id quod aliis argumentis confirmatur. Ambrosius enim, cum in illa Galeni expositione accuratiorem de oculorum indole explicationem desideraret, aperte alterius loci recordatus est, ubi ille non modo oculorum situm munitissimum simillimo modo describit, sed eos etiam aptissime instructos esse demonstrat. In libro X dico, ubi Galenus, postquam oculorum crystallinam speciem laudavit (788), eos ossibus tuto circumvallatos esse his verbis exponit (790): πρὸς δὲ τὴν τῶν ἔτι μειζόνων ὄγκων προσβολὴν ἄνωθεν μὲν τὰς ὀφρῦς προὐτάξατο, κάτωθεν δὲ τὰ μῆλα, κατὰ τὸν μέγαν κάνθον τὴν ῥῖνα, κατὰ τὸν μικρὸν τὴν τοῦ ζυγώματος ἔκφυσιν[1]). ὑφ' ὧν ἁπάντων προτέρων ἐκδεχομένων τὰς προσβολὰς τῶν μειζόνων σωμάτων αὐτὸς ἐν κύκλῳ τεταγμένος ὁ ὀφθαλμὸς οὐδὲν πάσχει. Similiter Ambrosius oculos tuto locatos esse exponit „supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malae ... interiorem partem saepiant nares ... inter haec medii sunt oculorum orbes et tuti ad cavendum et ad intuendum liberi et decori ad gratiam utpote in crystalli speciem refulgentes.“ Deinde ad palpebras describendas progressus iterum cum hoc Galeni loco consentit.

Galen. p. 790.	Ambros. § 60.
τὰς μὲν βλεφαρίδας οἷον χάρακά τινα τῶν μικρῶν ἕνεκα προτάξας σωμάτων, ὡς μὴ ῥᾳδίως ἐμπίπτειν ἀνεῳγόσι τοῖς ὀφ-	haec ne qua incidentis iniuriae offensione laedantur, pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur..

[1]) Eisdem fere verbis usus Galenus supra (683) de his rebus disseruit ἄνωθεν μὲν ὀφρῦς ὑπερθεῖσα, κάτωθεν δὲ τὸ καλούμενον μῆλον ὑψώσασα, τοῖς δ' ἐντὸς μέρεσι τὴν ῥῖνα παραθεῖσα, τοῖς δ' ἐκτὸς τὴν τοῦ καλουμένου ζυγώματος ἔκφυσιν.

θαλμοῖς, ὑπὸ τῶν τριχῶν τούτων ἀπειργόμενα[1]).

pupillam oculi tutissimo quodam naturae vallo munire dignatus est, simul quia innocentia et integritas levi sorde aspersa violatur.

Videmus fere omnia, quae apud Ambrosium leguntur, simili modo descripta apud Galenum inveniri. Tamen negari nequit scriptorem verbis, sententiis, librorum sacrorum locis adiectis auctoris tractatum liberius quam antea interpretari. Atque facile cognoscitur, cur in hac parte alia imitandi ratione usus sit. Nam cum ea auctoris enarratio, quam in tota hac parte ante oculos habuit, nimis brevis et circumscripta esse videretur, eam amplificavit et supplevit. Qua in excursione sane res tractandas facilius suis cogitationibus fingere potuit quam in illis medicorum placitis tam spinosis distinctisque, quae, ne in errores incideret, fere ad verbum reddere maluit.

Praeterea ex alio exemplo intellegi censeo, quam versatus Ambrosius in Galeni libris fuerit. Hic enim in libro XI ad faciei partes diligenter tractandas transit. Quod propositum persecutus in capite XI (p. 893) inquirit, quem usum aures capiti afferant. Cum hac expositione Ambrosius denuo tam multa, quae in aliis fontibus non leguntur, communia habet, ut vix negaveris eum in hac quoque re ex Galeno pendere. Qui praebet haec (895): *λοιπὸν οὖν ἔστι τὸ τῆς ἀκοῆς αἰσθητικὸν ὄργανον, ἐν ᾧ καὶ αὐτῷ πρώτην μὲν τὴν κατὰ τὸ λιθοειδὲς ὀστοῦν ἕλικα τοῦ πόρου κατεσκευάσατο πρὸς τὸ μηδὲν τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων λυμαίνεσθαι. καί σοι καὶ περὶ ταύτης ἱκανῶς ὁ πρόσθεν ἐξηγήσατο λόγος. δεύτερον δὲ καθάπερ τῶν ὀφθαλμῶν τὰς τρίχας τῶν ὀφρύων ὑπερέθηκεν, ἐκδεχομένας προτέρας, εἴ τι τῆς κεφαλῆς εἰς αὐτοὺς καταῤῥέοι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐβουλήθη τι καὶ τῶν ὤτων προθεῖναι. ἀλλὰ τοῖς μὲν ὀφθαλμοῖς ἐφ᾽ ὑψηλοῦ δεομένοις κεῖσθαι, δέδεικται γὰρ καὶ τοῦτο, μέγα τὸ πρόβλημα ποιεῖν. εἰς τοσοῦτον, ὡς ἐπισκοτεῖν αὐτοῖς, οὐκ ἦν ἄμεινον· ἐπὶ δέ γε τῆς ἀκοῆς αὐτὸ τοὐναντίον,*

[1]) Cum Galeno etiam Cicero (De nat. deor. II 143) mire consentit.

οὐ μόνον ἀποκωλύσειν γὰρ ἔμελλε τὰ προτεταγμένα τὴν τῆς φωνῆς ἔμπτωσιν, ἀλλὰ καὶ προσεπηχήσειν τι. . . . . 897 ὅπως δὲ καὶ τοῦ κάλλους αὐτῶν προὐνοήσατο . . . ἔνεστί σοι σκοπεῖν. Galenus igitur dicit interius aurium iter ideo flexuosum esse, ne quae corpora noxia invadere possint. Exteriorum autem aurium munera in duobus constare, scilicet ut eodem modo atque superciliorum pili sordes de capite defluentes excipiant, praeterea ut eis veluti magnis propugnaculis vocis sonus vehementius illabi prohibeatur et echo referatur. Denique aurium pulchritudini a natura provisum esse in cap. XIII (897) uberius explicat. Simili modo Ambrosius aurium munera describit (§ 62): „Praestantissimum quoque audiendi munus et visui suppar gratia. ideo aures extantiores sunt, ut et ornatus decorem praeferant et excipiant omne illud quidquid de vertice sordium umorisque defluxerit, simul ut in earum sinibus vox repercussa sine offensione interioris ingrediatur anfractus. . . . tum velut quaedam propugnacula videas praetendere adversum frigoris asperitatem . . .“ Quo loco Ambrosius similiter atque Galenus aurium munus triplex esse dicit: ut pulchritudini, usui, tutamini prospiciatur. Sed hoc quoque loco Ambrosius auctori suo nihil nisi sententiam principalem debet, quam ipse larga verborum et sententiarum copia exornat. Galeni verba non iam respicit, nisi forte illud πρόβλημα, quod eandem vim habet atque „propugnaculum.“ —

Quibus expositis pervenimus ad finem huius disputationis, quam docuisse puto Ambrosium magno studio Galeni de usu partium libros legisse. Nam in continua enarratione de oculis et auribus auctorem ita secutus est, ut ea, quae in paragr. 59, 60, 61 exhibet, fere omnia, praeterea complura in paragr. 62 inde hauriret. Quamquam Galeni sententias saepe fere ad verbum transtulit, tamen sententiarum nexum ita immutavit, ut ex Ambrosio solo, quid auctor voluerit, plerumque non intellegatur. Qua ex re clarissime imitatoris scribendi ratio agnoscitur, nam cum auctor certo ordine et consilio usus disputandi cursum teneat, apud imitatorem rectus sententiarum ordo saepius desideratur. Praeterea grave discrimen inter Galeni et

Ambrosii elocutionem conspicitur. Ambrosium enim, qui has homilias ad populum habuit, sermoni suo oratorium ornatum addidisse consentaneum est. Itaque auctoris dicendi genus saepius exsangue et aridum sententiarum sensu immutato, insignibus verbis veluti luminibus adiectis, digressionibus factis tam varie exornavit et ad rhetoris usum accommodavit, ut magna imaginandi et fingendi ars ei abiudicari non possit. —

§ 4.
De Apuleio Ambrosii auctore.

Apuleium philosophum Platonicum apud posteros summa auctoritate floruisse notum est. Nam cum omnium doctissimus et artis magicae peritissimus haberetur, eius libri diu in hominum memoria versabantur. Vir doctus Weymann[1] exemplis e Tertulliani, Julii Valerii, Zenonis, Ammiani, Dictyis, Ausonii, Martiani Capellae, Claudiani Mamerti, Apollinaris Sidonii libris prolatis demonstravit, quam multa lectionis Apuleianae vestigia apud sequentes scriptores et christianos et ethnicos occurrant. Sed unum vir doctus prorsus neglexit, Ambrosium dico, quem in describenda corporis humani natura tam studiose Apuleium imitatum esse existimo quam vix quisquam ceterorum imitatorum.

Summa philosophiae Apulei continetur eis libris, quibus De Platone et eius dogmate inscribitur. Priore libro, in quo scriptor pleraque ex Platonis libris, inprimis ex Timaeo, alia ex recentioribus fontibus repetivit, de naturali philosophia agitur. In distribuenda materia Apuleius eum exhibet ordinem, ut a Platonis vita exorsus de singulis philosophiae partibus, de deo, materia, rerum formis, elementis, temporibus, daemonibus, denique de animali omnium terrenorum praestantissimo, scilicet homine, disserat. In cap. XIII Platonis praecepta secutus de anima tripertita disputat, in cap. XIV

[1]) Acta Acad. Monac. a. 1893 vol. II p. 340 sqq.

sensuum instrumenta, in capp. XV—XVI corporis habitum et figuram describit. —

His angustis finibus totam corporis descriptionem adeo circumscriptam et coartatam praebet, ut plurimas res leviter tantum perstringat. Quod consilium in scribendo persecutus sit, non tam in aperto est quam supra in Galeni enarratione, nam Apuleius inani verborum strepitu saepe magis gaudet quam accurata solidaque rerum explicatione. Tamen neminem effugiet Apuleium eo intendere, ut singularum partium indolem utilem et aptam esse ostendat.

Ex his capitibus Ambrosius multa arripuit et in suum tractatum recepit. Quae imitandi ratio ut dilucide intellegatur, nos ad singulare Apulei scribendi genus redire necesse erit. Primum examinandum erit, quae Platonis doctrinae vestigia per Apuleium, qui in hac parte omnino Platonis Timaeo nititur, in Ambrosii expositionem invaserint. Praeterea, cum a viris doctis exploratum sit Apuleium in scribendo priscae orationis colorem affectavisse, vocabulorum formis minus usitatis, deminutivis, vulgaribus indulsisse, verba secundum rhetorum de clausulis praecepta delegisse, nobis quaerendum erit, quae Apuleianae dictionis proprietates apud Ambrosium reperiantur. —

Initium faciamus a capite XIII, in quo Apuleius de tribus animae partibus locutus exponit, quam eximium locum caput inter cetera membra teneat. Quod Apuleius hoc loco, quem Ambrosius imitandum sibi proposuit, ipse Platonis exemplum ante oculos habuit, primum huius principalis auctoris locum afferamus. Plato enim praebet haec (Tim. 44 D — 45 A): *τοῦτο, ὃ νῦν κεφαλὴν ἐπονομάζομεν, ὃ θειότατόν ἐστι καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων δεσποτοῦν. ᾧ καὶ πᾶν τὸ σῶμα παρέδοσαν ὑπηρεσίαν αὐτῷ ξυναθροίσαντες θεοί, κατανοήσαντες, ὅτι πασῶν ὅσαι κινήσεις ἔσοιντο μετέχοι . . . . ὄχημα αὐτῷ τοῦτο καὶ εὐπορίαν ἔδοσαν . . . σκέλη μὲν οὖν χεῖρές τε ταύτῃ καὶ διὰ ταῦτα προσέφυ πᾶσι.* Quem locum Apuleius imitatur hoc modo „totum vero hominem in capite vultuque esse (sc. ait), nam prudentiam sensusque omnis non alias

quam illa parte corporis contineri. cetera enim membra ancillari et subservire capiti, cibos et alia subministrare, vectare etiam sublime positum ut dominum atque rectorem." Simili modo Ambrosius in paragr. 57 de capitis praestantia disputat: „Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? cum caput videris, hominem agnoscis . . .[1]) non inmerito igitur huic quasi consultori suo cetera membra famulantur et circumferunt illud servili gestamine sicut numen atque in sublimi locatum vehunt: unde censoria potestate quo vult dirigit quorundam obsequia servulorum et praecepta singulis obeunda decernit. videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare, alia portant, alia pascunt, alia defendunt vel ministerium suum exhibent, parent ut principi, ancillantur ut domino . . . imago quaedam animi loquitur in vultu . . ."

Videmus Ambrosium auctorem suum tam artificiose atque egregie imitatum esse, ut eius scribendi ratio summa laude digna sit. Quam exile et pressum est Apulei dicendi genus, quae verborum et imaginum abundantia in Ambrosii oratione! Apuleius caput cum domino quodam et rectore comparat, Ambrosius largo atque uberrimo verborum ornatu usus cum consultore, numine, censore, imperatore, principe, domino. Apuleius satis ieiune refert „totum vero hominem in capite vultuque esse . ." Ambrosius autem, qui liquidum et vividum sermonem efficere studet, interrogat „Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit?" Apuleius nihil dicit nisi „membra . . . cibos et alia subministrare . ." Ambrosius autem anaphorae, quae dicitur, figura usus pronuntiat „membra . . . alia portant, alia pascunt, alia defendunt vel ministerium suum exhibent . ." Adde Vergilii versus, quos Ambrosius exornandi causa in auctoris sententias inspersit, ut cognoscas, quantum operae in Apulei elocutione perpolienda et excolenda collocaverit.

Praeterea observamus Ambrosium nonnullis in rebus etiam

[1]) Insequuntur loci e Vergilio desumpti.

cum Platone, quem Apuleius in sua disputatione secutus est, consentire. Ut Plato verbis *δεσποτεῖν* et *ὑπηρεσία* usus capitis dominatum, corporis servitium designat, ita Apuleius et Ambrosius caput cum domino, membra cum servulis comparant. Pari modo atque Plato, qui dicit corpus esse capitis *ὄχημα* i. e. vehiculum, quo portatum omnium motuum particeps sit, Apuleius et Ambrosius membra caput vectare vel vehere referunt.

Quod ad Apulei dicendi genus attinet, verbum „ancillari", quod paulo accuratius interpretemur, dignum est[1]). Hoc enim vocabulum a scriptoribus Latinis rarissime adhibitum[2]), quod nescio an ex prisco sermone arcessitum sit, ab antiquis grammaticis saepius explicatur. Nonius p. 721 duobus exemplis ex Attio et Titinio allatis interpretatur: „ancillantur pro serviunt". In aliis glossariis plerumque ancillari pro adulari ponitur. Sed cum illo Apulei loco unice convenit explicatio, quae in gloss. Abavo invenitur: „ancillari: humiliter servire". Quam interpretationem etiam apud Ambrosium optimum sensum praebere manifestum est. —

In proxima paragrapho (58) Ambrosius ostendit, quantae utilitati supercilia oculis sint, cum dicit „eandem geminae saepes superciliorum secuntur, quae oculis munimenta praetendunt .. si quid enim de capite sordium decidat .. excipitur supercilio . ." Sed supra vidimus Ambrosium eandem fere sententiam etiam in paragr. 60 proferre, ubi exhibet „eo loco oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis inpertiant... haec ne qua incidentis iniuriae offensione laedantur, pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur".

Ex quibus locis patet Ambrosium de eadem re bis fere idem dicere. Id quod sane offenderet, nisi ex fontibus adhibitis causa intellegeretur. Altero enim loco Galenum auctorem esse comprobavimus, cum priore loco Apuleius Ambrosio res subministraverit. Ille enim scribit in cap. XV: „at supercili-

---

1) De hoc verbo disputavit Funk, Archiv IV (1887) p. 76.
2) cf. Thesaur. ling. Lat. s. v. ancillari.

orum saepes praemuniunt oculis, ne desuper proruat, quod teneras visiones mollesque perturbet" ubi Apuleius, qui hoc loco minus Platonem[1]) quam Ciceronem[2]) sequi videtur, in verbis deligendis et disponendis eo spectat, ut enuntiati exitum cretico cum trochaeo (–◡– –◡), quam clausulam in deliciis habuit, adstringat[3]). Quod Apulei exemplum Ambrosius neglecto quidem rhythmo, sed eisdem verbis usus hoc modo imitatur: „eandem geminae saepes superciliorum secuntur, quae oculis munimenta praetendunt ... si quid enim de capite sordium decidat . . aut umescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie visiones mollium perturbet oculorum" ex quibus verbis Apuleianae elocutionis vestigia clare elucent. Sed hoc quoque loco Ambrosius maiore verborum ambitu usus complura de suo vel ex alio fonte desumpta adicit. Recte enim Schenkl adnotare mihi videtur eum praeterea Ciceronis locum simillimum, quem modo attulimus, respicere. unde colligas, quam versatus Ambrosius, cui statim Apulei Ciceronis Galeni locorum eandem ad rem pertinentium in mentem venit, in hoc litterarum genere fuerit.

In sequenti enarratione Ambrosius res tractatas e Galeno mutuatus recedit ab Apuleio, qui de oculis et auribus in priore parte capitis XIV alias sententias profert. Sed in paragraphis 66/67 ad Apuleium reversus pleraque eorum, quae sequuntur, huic auctori debet. In ipsis paragraphis 66/67, quibus de dentibus, lingua, voce agitur, pauca tantum ex Apuleio hausit, haec autem fere ad verbum. Et mirandum est, quam artificiose Ambrosius haec frustula Apuleiana cum rebus ex alio fonte desumptis coniunxerit et in unum conflaverit. Excerpit enim caput XIV, ubi Apuleius ostendit homines sensuum indole ceteris animantibus antecedere, verbis usus: „sensus quidem

1) Plato Tim. 45 D.

2) Cic. De nat. deor. II 143: Latent praeterea utiliter, et excelsis undique partibus saepiuntur (sc. oculi.). Primum enim superiora, superciliis obducta, sudorem a capite et a fronte defluentem repellunt.

3) cf. Gatscha, Quaest. Apuleian. capita tria, Diss. Vindob. 1898 p. 171.

ipsi communes nobis sunt cum ceteris animantibus[1]). at enim hominum sollertia eiusmodi divino beneficio instructior auctiorque, quod auditus illi est visusque praestantior. oculis namque metitus est caelum siderumque circuitus et astrorum obitus atque ortus . . . ."

Simili modo Ambrosius in paragr. 67 alium auctorem secutus exponit homines ratione praeditos inrationalibus animantibus multo praestare. Quod in hunc sententiarum nexum Apulei locus bene quadravit, eum fere integrum exscribere non dubitavit: „nam et ipsi sensus communes nobis sunt cum animalibus ceteris, sed tamen non eadem his ceterae animantes industria utuntur . . . . spectat (sc. homo) oculis ortus obitusque signorum, videt ornamentum caeli . . ." ubi Ambrosius Apulei verba tam bene in sententias alienas intexuit, ut disputandi tenor nullo modo interrumpatur. —

Exeunte capite XIV Apuleius ad describenda linguae et oris munera procedit, cum dicat:

„lingua et dentium vallum et ipsius osculi venustas accessit[2]) . . . . homini promptuarium potius rectae rationis et suavissimae orationis hoc datum est, ut, quae prudentia corde conceperit, ea sensa promat oratio".

Quod dicendi genus Ambrosio eximie placuisse videtur, nam eodem modo dicit:

§ 66: quid ego describam dentium vallum, quo conficitur cibus . . . . § 68: quid autem loquar de osculo oris, quod pietatis et caritatis est signum? osculantur se et columbae, sed quid ad humani osculi venustatem . . . . illud quoque praecipuum est, quod soli homines ore exprimimus quae corde sentimus. itaque cogitationes tacitae mentis oris sermone signamus. quid est igitur os hominis nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?"

Denuo exemplum habes quantopere Ambrosius in cumu-

[1]) enuntiati clausula glyconeo adstringitur, cf. Gatscha l. c. p. 178.
[2]) creticus cum dispondeo efficitur.

lando ornatu oratorio elaboraverit. Priore loco (§ 66), quo Basilium secutus de dentium officiis disputat, huius auctoris sermonem aridiorem poetica dictione „dentium vallum“ ex Apuleio accita perpolire studet. In paragr. 68 valde delectat observare, quam ingeniose Ambrosius Apulei verbis alium sensum substituerit, qui ei ut Christiano scriptori magis arrisit. Apuleius enim, quem formas deminutivas studiose frequentavisse constat[1]), osculi vocem pro parvo ore exhibet, Ambrosius autem idem vocabulum pro .basio accipere maluit, ut hoc pietatis signum laudare et illam de Judae proditione narrationem adiungere posset.

Praeterea illud „promptuarium“, quod vocabulum Apuleius novandi cupiditate ductus primus absolute usurpavit[2]), testatur quam bonam Apuleianae elocutionis effigiem Ambrosii tractatus praebeat. —

Toti disputationi, quam habuit de capitis indole, Ambrosius finem facit his verbis (68): „absolvimus velut quandam humani corporis regiam . . .“ qua insigni atque splendida comparatione ille sane lubenter suam narrationem distinxit. Sed in hac quoque re ex Apuleio pendet, qui dicit (c. XIII): „sed machinamenta, quibus ad sentiendas et diiudicandas qualitates sensus instructi sunt, ibidem erga regiam capitis constituta esse . . . .“

In proxima paragrapho (69) Ambrosius ad manuum officia explicanda progressus deflectit ab Apuleio, qui de manibus omnino non loquitur. Sed in paragr. 70 de pulmonibus scripturus denuo ad hunc auctorem se applicat, quin etiam in sequenti enarratione eundem rerum ordinem servat. Quod Apuleius ipse Platonem secutus de pulmonibus disputavit, primum huius auctoris locum compilatum afferamus, ut quae ratio inter Platonem et Ambrosium intercedat perspiciatur. Plato in Tim. p. 70 C de pulmonibus hanc sententiam satis miram profert: *τῇ δὲ δὴ πηδήσει τῆς καρδίας ἐν τῇ τῶν δεινῶν*

---

[1]) cf. Koziol, „Der Stil des Apuleius“, Vindob. 1872, p. 260 sqq.

[2]) Koziol. l. c. p. 303.

προσδοκίᾳ καὶ τῇ τοῦ θυμοῦ ἐγέρσει, προγιγνώσκοντες, ὅτι διὰ πυρὸς ἡ τοιαύτη πᾶσα ἔμελλεν οἴδησις γίγνεσθαι τῶν θυμουμένων, ἐπικουρίαν αὐτῇ μηχανώμενοι τὴν τοῦ πλεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν πρῶτον μὲν μαλακὴν καὶ ἄναιμον, εἶτα σήραγγας ἐντὸς ἔχουσαν οἷον σπόγγου κατατετρημένας, ἵνα τό τε πνεῦμα καὶ τὸ πόμα δεχομένη, ψύχουσα, ἀναπνοὴν καὶ ῥᾳστώνην ἐν τῷ καύματι παρέχοι. Quem locum Apuleius valde in angustius coactum hoc modo reddit (c. XV): „pulmones loco ac sui genere cordi plurimum consulunt, cum exardescit ira trepidansque celerioribus motibus vertex cordis ipsius madens sanguine pulmonum excipitur mollitia, siti, frigore." Ambrosius interrogandi enuntiatione usus eandem sententiam hoc modo exprimit: „Quid tam salutare, quam ut pulmo cordi finitimo limite iungeretur, ut, cum exarserit cor ira et indignatione, pulmoris sanguine atque umore citius temperetur? ideoque et mollis pulmo est, quia madet semper, simul ut rigorem indignationis emolliat." Videmus Ambrosium, cum censeat cor iratum pulmonibus temperari, in re principali cum Platone et Apuleio consentire. Tamen primo obtutu patet scriptorem, qui Apulei verborum ordinem suo arbitrio immutet, cum ab hoc auctore tum a Platone in una re adeo recedere, ut in contrariam cadat sententiam. Plato enim expressis verbis exhibet *τὴν τοῦ πλεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν μαλακὴν καὶ ἄναιμον* .., quem secutus Apuleius pulmonibus mollitiam, cordi sanguinem ascribit. Sed aliter Ambrosius, qui in pulmonibus et sanguinem et mollitiam inesse existimat. Manifestum est eum hanc veriorem sententiam ex ea cognitione, quam vita cotidiana subministrat, hausisse. —

Apuleius de pulmonibus locutus lienis munus paucis explicat Platonis respiciens haec (Tim. 72 C): *ἡ δ' αὖ τοῦ γείτονος αὐτῷ* (sc. *ἥπατι*) *ξύστασις καὶ ἕδρα σπλάγχνου γέγονεν ἐξ ἀριστερᾶς χάριν ἐκείνου, τοῦ παρέχειν αὐτὸ λαμπρὸν ἀεὶ καὶ καθαρόν, οἷον κατόπτρῳ παρεσκευασμένον καὶ ἕτοιμον ἀεὶ παρακείμενον ἐκμαγεῖον. διὸ δὴ καὶ ὅταν τινὲς ἀκαθαρσίαι γίγνωνται διὰ νόσους σώματος περὶ τὸ ἧπαρ, πάντα ἡ σπληνὸς καθαίρουσα αὐτὰ δέχεται μανότης . . .*

Quo loco nixus Apuleius exhibet: „lienem vero iocineri non frustra esse finitimum, ut eius redundantiam participatis haustibus relevet abstergeatque ea, quae sordium fuerint, purumque ac sincerum praestet, quod maxime fibris est commodum.“ Eodem modo Ambrosius a pulmonibus ad lienem se convertit (§ 71): „Lien quoque cum iecore habet viciniam fructuosam, qui dum adsumit, quo ipse pascatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit, ut per fibras iecoris minutiores ciborum possint tenues atque subtiles reliquiae transire, quae vertantur in sanguinem ...“ Denuo observamus nonnulla Platonis doctrinae vestigia apud Ambrosium reperiri. Sed hoc quoque loco Ambrosius Apuleium uberius interpretatus dicit tenues cibos purgatos in sanguinem verti. Quod Apuleius hac de re nihil refert, Ambrosius aperte iterum sua corporis humani cognitione confisus auctoris expositionem amplificavit. Quam scientiam scriptori eo facilius attribuere licet, quod et hoc et aliis locis ea, quae de suo adiecit, leviora tantum sunt minorisque momenti, eiusmodi res dico, quas homo mente sana praeditus etiam sine profundiore naturalium rerum notitia excogitare et apponere potuit. – In genere dicendi Ambrosius bis ab Apuleiano sermone aberrat. Primum in fingendo ablativo a „iecur“ derivato pleniorem formationem „iocinere“, quae apud Apuleium occurrit, aspernatus usitatiorem formam „iecore“ ponit, praeterea, si melioribus libris manu scriptis fidem habemus[1]), verbi „abstergĕre“ non ut Apuleius alterius, sed tertiae coniugationis utitur terminatione.

Sed ad aliud exemplum transgrediamur. Apuleius postquam de liene disseruit, ostendit quantae utilitati intestinorum orbes in se redeuntes corpori humano sint. Qua in explicatione hunc Platonis locum ante oculos habuit (Tim. 73 A): *εἵλιξαν πέριξ τὴν τῶν ἐντέρων γένεσιν, ὅπως μὴ ταχὺ διεκπερῶσα ἡ τροφὴ ταχὺ πάλιν τροφῆς ἑτέρας δεῖσθαι τὸ σῶμα*

---

[1]) codd. A'M exhibent: abs'erget.

ἀναγκάζοι καὶ παρέχουσα ἀπληστίαν διὰ γαστριμαργίαν ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον πᾶν ἀποτελοῖ τὸ γένος . . .

Quem locum Apuleius hoc modo accipit (c. XV): „ventrem hiris intestinorum circumplexum et nexibus inpeditum esse, ne esculenta et potulenta sese penetrarent, sed ut retenta paulisper utilitatem sui accessu[1]) animantibus exhiberent, ne exhaustis et labentibus, quae inferuntur, momentis omnibus adpetendi cibi necessitas immineret et ad hoc unum occupari nobis dies noctesque esset necesse.“ Similiter Ambrosius Apulei ordinem secutus de aptissima intestinorum indole disputat (§ 71): „intestinorum vero circumplexi orbes et sine aliquo licet nodo sibi tamen invicem nexi quid aliud nisi divinam prospicientiam creatoris ostendunt, ut non cito esca pertranseat et statim ab stomacho decurrat? quid si fieret, iugis famis et continua vorandi libido hominibus gigneretur. exinanitis enim visceribus et exhaustis, dum momentaria effusione vacarentur, necesse erat inexplebilem atque insatiabilem cibi et potus generari cupiditatem . .“

Videmus Ambrosium, etsi longiore verborum anfractu usus de intestinis loquitur, adeo Apulei vestigiis ingredi, ut etiam cum Platone mire consentiat. Ipsa quoque auctoris verba saepius studiose arripuit et in simili sententiarum contextu iterum usurpavit. Sed nonnunquam Apulei dicendi genus inusitatius et licentius esse ratus consulto ab eo recessit et ad sermonem communem revertit. Itaque illud vocabulum ab usu remotum „hirae“, quod Apuleius aut ex prisca Latinitate aut ex consuetudine vulgari[2]) deprompsit, aspernatus verbum usitatissimum „orbes“ adhibere maluit. Praeterea Apuleius illud „circumplexum“ ab activo verbo „circumplecto“ derivatum passive ponit, a qua formatione elegantioris severiorisque linguae scriptores abhorruerunt[3]). Aliter res se

---

[1]) cod. B.: ac censum.

[2]) Piechotta, Curae Apuleianae, diss. Vratisl. 1882 p. 83.

[3]) cf. Neue-Wagner, Lat. Formenl. III[3] p. 79.

habet apud Ambrosium, qui eodem participio „circumplexi“ in alio verborum nexu usus huius verbi medialem vim, quae nihil habet singulare, usurpat.

Postquam comprobavimus Ambrosium fere omnia, quae Apulei capite XV continentur, eodem ordine servato in suum usum convertisse, nonnulla exempla ex capite XVI examinanda restant. Ineunte hoc capite exstat: „visceribus ossa sunt tecta; eadem revincta sunt nervis[1]). et tamen ea, quae sunt internuntia sentiendi, sic sunt operta visceribus, ne crassitudine sensus hebetentur.“

Ambrosius, qui in paragr. 72 ab Apulei tractatu digressus erat, in sequenti parte eo reversus auctoris locum modo allatum his verbis imitatur (§ 73): „Venarum pulsus vel infirmitatis internuntius vel salutis est. eaedem tamen cum toto diffusae corpore sint, neque nudae atque intectae sunt et ita levibus operiuntur visceribus, ut explorandi copia sit et celeritas sentiendi. quando nulla est viscerum crassitudo, quae pulsum possit obducere. ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere et revincta nervis.“

Hic locus optime Ambrosii compilandi rationem illustrare mihi videtur. Nam in priore huius expositionis parte scriptor res tractatas minime ex Apuleio mutuatus est, immo vero sua ipsius naturae humanae cognitione nixus auctoris exemplar nimis circumscriptum amplificavit, cum dicat hominum valetudinem ex venarum pulsu agnosci. Quae notitia tam trita atque pervulgata est, ut vix credam eum certum auctorem consuluisse. Quamvis igitur ipsas res Apuleio non debeat, nihilo setius verbis dictionibusque ex auctoris sententiarum nexu alieno arcessitis ita usus est, ut suae orationi veluti pannulos adsueret. Atque perspicue ex Ambrosii verbis peculiare Apulei dicendi genus perlucet. Ita viscerum voci duplicem vim imponit, cum in paragr. 70 et 71 sermonem cotidianum secutus hoc vocabulo pro intestinis utatur, in paragr. 73 Apuleium imitatus pro cute et carne. — Praeterea ex inter-

———

[1]) creticus cum spondeo efficitur.

nuntii voce, quam in alio sententiarum nexu collocavit, cognoscitur quanto studio etiam sola auctoris vocabula excerpserit. Sed in ipso hoc vocabulo adhibendo notabilis discrepantia inter utrumque scriptorem primo obtutu conspicitur. Apuleius enim, qui liberrimae novandi licentiae indulsit, huius vocabuli communi formatione spreta genus neutrum pro masculino posuit[1]), Ambrosius autem, cui vocabuli terminatio in hunc modum ficta audaciae plenior esse videbatur, hac forma tam insueta ac mira consulto neglecta rursus ad usitatum genus masculinum rediit. —

In sequenti enarratione Apuleius caput capillis tectum et munitum esse hoc modo explicat: „denique ipsius capitis verticem specta, contectum tenui cute capillisque hirsutum videbis adversum vim frigoris et caloris[2])". Ambrosius, quamquam iam in paragr. 56 alio auctore usus caput capillis a frigore et aestu defensum laudaverat, in paragr. 73, ubi Apulei exemplum ante oculos habuit, de eadem re iterum agere non dubitat. Nam dicit „. . . praecipue tamen capitis (ossa) levi tecta sunt corio et, quo possint aliquod adversus imbres et frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur", ubi de capite densioribus capillis vestito simillimo modo disputat atque Apuleius (verticem . . . hirsutum) et Plato (*λασίαν . . . κεφαλὴν*).

Ea, quae in Apulei capite XVI sequuntur, Ambrosius in suum tractatum non recepit. Atque consulto eum hanc auctoris partem vitasse crediderim. Apuleius enim cum pergat „sed e regione cordis venarum meatus oriuntur per pulmonum spiracula vivacitatem transferentes, quam de corde susceperint" dissentit ab eo Galeni dogmate, quod Ambrosius in paragr. 61 secutus dicit „initium autem arteriarum et insiti caloris . . . cor esse plerique arbitrantur." Itaque Ambrosius, ne duobus

---

[1]) Pauca huiuscemodi exempla enumerat Koziol l. c. p. 253.

[2]) cf. Plato Tim. 76 B *τούτῳ δὴ λασίαν ἡμῶν ἀπειργάσατο τὴν κεφαλὴν ὁ ποιῶν . . . διανοούμενος ἀντὶ σαρκὸς αὐτὸ δεῖν εἶναι στέγασμα τῆς περὶ τὸν ἐγκέφαλον ἕνεκα ἀσφαλείας κοῦφον καὶ θέρους χειμῶνός τε ἱκανὸν σκιὰν καὶ σκέπην παρέχειν.*

locis de eadem re diversa ratione ageret, recte illud Apulei exemplum praetermisit.

Sed ultimum capitis XVI enuntiatum denuo testimonio est, quam studiose Ambrosius auctoris tractatum compilaverit. Hic enim exhibet „venarum diversae sunt qualitatis, quas ad procreandum e regione cervicum per medullas renum commeare et suscipi inguinum loco certum est; et pruritu[1]) venarum genitale seminium humanitatis exire", ubi Apuleius a Platone, qui semen genitale ex medulla dorsuali oriri opinatur[2]), digressus aperte ex fontibus recentioribus haurit. Apulei locum Ambrosius hoc modo in suum tractatum transfert: „quid de genitalibus loquar, quae venis e regione cervicis per renes lumbosque deductis suscipiunt genitale seminium ad munus et gratiam procreandi?" Hoc igitur loco Ambrosius ita ab Apuleio pendet, ut fere omnia, et res et verba, inde repetat. Etiam illud „seminium" usurpavit, quod vocabulum, sive vetustioris linguae specimen sive ex vulgari loquendi more desumptum est[3]), omnino Apuleianum dicendi genus sapit. —

Conclusio.

Postquam hanc disquisitionem ad finem perduximus, brevi comprehendere liceat, quae adhuc de Ambrosii fontibus eruerimus. Vidimus Ambrosium fere omnes res in paragraphis 57, 58, (66, 67,) 68, 70, 71, 73 tractatas ex Apulei capitibus XIII—XVI repetivisse, quin etiam saepe eodem dicendi genere usum esse atque auctorem. Inprimis ei loci, quibus sententiarum sensu neglecto sola verba locutionesque arripuit et in suam orationem inspersit, bene docent, quam arte nonnunquam ad auctoris sermonem se applicaverit (veluti in paragr. 73). Idem evincitur ex compluribus verbis et vocabulorum formis, quae ab auctoribus optimae Latinitatis alienae aut anti-

[1]) Hoc verbum Goldbacher coniectura substituit, traditur „et rursum".

[2]) Tim. 77D, 86C, 91A.

[3]) Piechotta l. c. p. 81.

quitatem aut consuetudinem vulgarem redolent (cf. ancillari, promptuarium, osculum, seminium). Neque tamen auctorem suum ita imitatus est, ut omnes vocabulorum formationes insuetas obsoletasque temere ac fortuito complecteretur, immo vero saepius consulto ab eo digressus moderatius et usitatius dicendi genus adhibere maluit (cf. orbes, iecur, circumplecti, internuntius). Sed maximum discrimen, quod inter Apuleium et Ambrosium intercedit, in scribendi ratione atque consilio positum est. Apuleius enim, qui philosophus Platonicus esse sibi videbatur, ut ceteras naturalis philosophiae partes, ita corporis structuram secundum Platonis praecepta paucis delineare et adumbrare voluit, Ambrosius autem, qui totum hunc tractatum homiliae ad populum habitae inseruit, oratoris vigorem et ornatum ante omnia quaesivit. Itaque auctoris exempla longioribus verborum ambagibus, vocabulis splendidis et translate adhibitis, locis e libris sacris appositis varie distinxit et exornavit. Haec scribendi ratio clarissime ex paragr. 57 et 68 elucet. — Sed una re paulum offendimur in Ambrosii partibus Apuleianis, ut ita dicam. Ille enim quod apud auctorem suum nonnulla simili modo exposita invenit atque in aliis fontibus compilatis, ipse quoque nonnunquam easdem sententias iteravit (§ 58 = § 60, § 73 = § 56), etsi concedendum est eum apertas auctorum discrepantias recte perspexisse et in suo tractatu vitasse. Vel hinc quaestionem exsistere puto, quae ratio intercedat inter eas partes, quas Apuleio, et eas, quas Galeno (§ 59—62) auctoribus assignavimus. In universum in his partibus similis scribendi ratio observatur, nam et Galenus et Apuleius singularum partium usum et tutamen demonstrare voluerunt. Sed quoniam Galenus hoc propositum multo maiore studio atque ardore quam Apuleius persecutus est, Ambrosius quoque in paragr. 59, 60, 62 (paragraphus 61 cur excipienda sit supra vidimus) id unum spectat, ut oculorum et aurium indolem ex omni parte aptissimam ostendat. Quae scribendi ratio tam expressa et distincta in Apuleianis partibus nunquam occurrit. — Aliud discrimen non minus insigne in ipsis praeceptis Ambrosio ab

his auctoribus subministratis conspicitur. Nam in ea expositione, in qua Ambrosius ex Galeno pendet, egregiae doctrinae et eruditionis se praestat investigatorem, cum eis locis, quibus Platonis et Apulei opinione physica nititur, res aut satis tritas aut falsas proferat. Quod ut recte intellegas, compares velim Ambrosii paragraphos 61 et 70: altero loco docta decreta praebet, quae auctor corporis humani peritissimus ex subtilissima inquisitione atque investigatione collegerat, altero loco fere ridiculam comprobat opinionem, quae cum Platonis naturali philosophia sane bene convenit. —

Ex his indiciis videmus, quam bonam et Galeni et Apulei scribendi rationis effigiem Ambrosiana expositio servaverit.

Quae cum ita sint, statim alia quaestio oritur: quoniam Ambrosius Apuleianae lectionis testis omnibus codicibus antiquior est, quaerendum esse puto, num eo adiuvante Apulei locis gemellis emendandis et recte interpretandis quicquam profici possit. Quod meo quidem iudicio Ambrosius re vera nonnunquam Apuleianae scripturae traditae subsidium haud spernendum adfert, hanc rem nonnullis exemplis illustrare mihi liceat.

b. De locis quibusdam Apuleianis ex Ambrosio emendandis.

Omnes codices, quibus Apulei de philosophia scripta continentur, ad unum archetypum redire inter viros doctos constat. Qui codex cum ipse omni mendorum genere deformatus esset, libri inde derivati similem imaginem praebent: saepe voces omittuntur, inseruntur, depravantur[1]). Codices dividuntur in duo genera, quorum alteri adnumerandi sunt cod. Bruxellensis (B), qui fide et auctoritate omnibus ceteris libris manu scriptis praestat[2]), codd. Monac. (M) et Vat. (V), qui ex aliquo

[1]) De Apulei codd. cf. Goldbacheri ed. praef.

[2]) cf. quae de hoc codice disseruit Thomas in editione nuperrime publici iuris facta, quae in manus meas pervenit, cum hanc commentationem iam confecissem.

Bruxellensis apographo pendere videntur[1]. Praeterea in censum veniunt cod. Gudianus (G) et cod. Paris. (A). Alterius generis tres exstant codices: cod. Paris. (P), cod. Laurent. (L), cod. Florent. (F), ex quibus F, quamvis plurimis vitiis depravatus, praestantissimus est.

Consentaneum est in exercenda re critica duplex negotium nobis impositum esse, primum examinandi quid Ambrosio duce Apulei locis mendose traditis proficiatur, deinde quid Apuleius ad Ambrosii lectionem genuinam restituendam adferat. Sed id ab initio profitear ex Apuleio nullos fructus capi, quod ei loci Ambrosiani, quibus subvenit, graviora damna non acceperunt. Paulo maiori usui Ambrosii tractatum nonnullis Apuleianis locis sanandis esse docebunt exempla, quae allaturus sum.

Primo loco, quem Ambrosius copiosius quidem, sed eodem sensu servato imitatus est, leguntur haec (c. XIII):

„cetera enim membra ancillari et subservire capiti, cibos et alia subministrare, vectare[2] etiam sublime pos[s]it(um)[3] ut dominum atque rectorem . . . .“

Quam diverse viri docti hunc locum interpretati sint cognoscas ex his exemplis:

Vulcan[4]: vectari ut in sublime possint ad dominum atque rectorem

Elmenh[5]: verticem etiam in sublime posuit ut dominum atque rect.

Oudend[6]: verticem etiam sublime positum ut dom. atq. r.

Hildebr[7]: vectare etiam sublimem positum dominum atq. rect.

Goldb.: vectare etiam sublime positum ut dom. atq. r.

Videmus quantam operam interpretes in codicum corruptelis

---

1) cf. Thomas praef. p. VIII.

2) „vectare“ vel „vertare“ et super „tare“ man. 2 „ticem“ V.

3) „possit ut“ BFPLA; „possit in“ M; „posse ut“, man. 2 „possuit“ V.

4) ed. Vulcanius Lugd. Bat. 1594.

5) ed. Elmenhorst, Frankf. 1621.

6) ed. Oudendorp Lugd. Bat. 1786—1823.

7) ed. Hildebrand, Lips. 1842.

emendandis collocaverint. Omnium maxime Vulcanius a scopo aberravit, qui huic loco sensum prorsus alienum supposuit. Primus Hildebrand rectam emendandi viam ingressus perspexit proficiscendum esse a verbo „vectare“, quod Platonis voci ὄχημα = „vehiculum“ responderet. Quam vera sit haec sententia patet ex Ambrosio, qui dicit (§ 57): „membra ... caput circumferunt atque in sublimi locatum vehunt“, ubi Ambrosius simul indicat, unde ortum sit illud absurdum „possit ut“ vel „possit in“ vel „possuit“, quod Oudendorpius emendavit in „sublime positum ut“. Haec coniectura magnis subsidiis fulcitur Ambrosiano loco modo allato „in sublimi locatum“. Iam perspicuum est duorum tantum editorum lectionem et codicum vestigiis et Ambrosianis excerptis satisfacere, Hildebrandii et Goldbacheri, qui eo differunt, quod prior comparandi particula „ut“ omissa scribit „sublimem positum dominum“, cum alter quam proxime ad codicum scripturam accedens scribat: „sublime positum ut dominum“. Utra lectio maiorem habeat probabilitatis speciem, denuo docet Ambrosius „membra ... ancillantur ut domino“. Cum accedat, quod Goldbacheri lectio „sublime positum“ Ambrosii verbis „in sublimi locatum“ melius respondet quam Hildebrandii „sublimem positum“, ubi „sublimem“ non ad capitis situm, sed ad vocem „dominum“ refertur, optimis Apulei codicibus et Ambrosii testimonio confisus solum Goldbacherum lectionem genuinam restituisse existimo[1]).

Alio loco, quo Ambrosius in subsidium succedit, viri docti minus de Apuleiana lectione quam de interpretatione dissentiunt. In Hildebrandii editione de pulmonibus leguntur haec (cap. XV): „Pulmones loco ac sui genere cordi plurimum consulunt. Cum exardescit ira trepidansque celerioribus motibus vertex cordis ipsius madens sanguine, pulmonum excipitur mollitia siti, frigore“. Hoc igitur modo interpunctionis signo post „consulunt“ et commate post „sanguine“ posito in altera enuntiatione duo efficiuntur enuntiata temporalia, quorum alterius subiectum est „ira“, alterius „vertex cordis“. Sed

[1]) Goldbacherum secutus est etiam Thomas.

Goldbacher totam enuntiationem aliter interpretandam esse ratus[1]) scribit „pulmones loco ac sui genere cordi plurimum consulunt, cum exardescit ira trepidansque celerioribus motibus vertex cordis ipsius madens sanguine pulmonum excipitur mollitia, siti, frigore". Goldbacher igitur, cum post „consulunt" per comma distinguat, insequentes enuntiationes secundarias tam arte cum praecedenti primaria coniungit, ut in utraque subiectum sit „cor", vox „ira" autem ablativi vim possideat. Utra interpretandi ratio meliorem praebeat sensum nemini dubium erit. Tamen opportune cadit, quod Goldbacheri interpretationi etiam Ambrosius succurrit, cum dicat (§ 70): „quid tam salutare quam ut pulmo cordi finitimo limite iungeretur, ut, cum exarserit cor ira et indignatione, pulmonis sanguine atque umore citius temperetur?"

Denique unum Apulei locum examinemus, qui cum graviorem labem contraheret, viris doctis difficultates haud parvas attulit. Exeunte capite XVI libri manu scripti exhibent:

„Venarum diversae sunt qualitates quas ad procreandum e regione cervicum per medullas renum commeare et suscipi inguinum loco certum est et rursum venarum genitale seminium[2]) humanitatis exire"[3]). Ultimam huius enuntiati partem sensu sano carere manifestum est. Quod cum interpretes sentirent, alii scripturae traditae vulnus in verbo „exire", alii in voce „rursum" insidere existimaverunt. Ex Hildebrandii adnotationibus video Colvium probante Oudendorpio pro „exire" coniecisse „excire", ita ut „alias" vel „qualitates" post illud „rursum" mente subaudiendum esset. Quae coniectura assentientem me non habet. Nam primum ne hoc quidem modo sensus simplex efficitur, praeterea Hildebrand recte sensit easdem esse venas, quae ad procreandum e cervicibus commeant quibusque semen humanum continetur. Hildebrand ipse corruptelam in voce „rursum" inesse ratus certam emendationem

---

[1]) cf. Acta Acad. Vindob. 1870, p. 174.
[2]) seminum PL.
[3]) exhire B.

proponere non ausus est, nisi quod pro „rursum“ fortasse „cursu“ scribendum esse suspicatur. De qua coniectura infra agemus. Goldbacher ab eadem voce „rursum“ profectus coniecit „pruritu“. Sed vereor, ne haec coniectura speciosior quam verior sit. Supra enim vidimus Ambrosium totius Apulei enuntiati et sensum et pleraque verba complexum scribere (§ 73): „quid de genitalibus loquar, quae venis e regione cervicis per renes lumbosque deductis suscipiunt genitale seminium ad munus et gratiam procreandi?“

Qui locus primum docet easdem esse venas, quae e cervicibus deducuntur quaeque humanum semen continent. Praeterea observamus Ambrosium fere omnia verba ex Apuleio mutuatum esse. Sed unum verbum praestantissimum, quo seminis exeuntis et procreandi causa indicatur, omisit: idem „pruritu“, quod Goldbacher hoc loco substituit. Id quod casu factum esse mihi vix persuadeam. Immo vero ex Ambrosio veri similius fit illo loco aliud verbum minoris momenti, quo sententiae sensus non commutatur, exstitisse. Quod fuerit hoc verbum, ex Ambrosio pro certo erui non potest. Tamen improbabile non est unum ex eis verbis Ambrosianis, quae apud Apuleium non leguntur, verum illius corruptelae sensum servasse. Si haec verba perlustramus, solum illud „deductis“ in censum venire potest, quod ad „venis“ relatum in simili verborum nexu occurrit, quem Hildebrand coniectura „cursu venarum“ assequi voluit. Itaque non video quid obstet, quominus Hildebrandio adstipulati formam „cursu“, quae neque a codicum vestigiis neque ab Ambrosiana sententia aliena est, aut genuinam esse aut mutilati loci sensum reddere statuamus.

Quibus expeditis huic disputationi finem imponamus. Quamquam rei propositae multum profecisse mihi non videor, tamen nonnullis exemplis demonstratum esse puto Ambrosii excerpta Apuleiana nonnumquam conferre ad restituendam Apulei lectionem genuinam.

---

§ 5.

Quae ratio intercedat inter Ambrosii tractatum et Lactantii libellum, qui De opificio Dei inscribitur.

Postquam comprobavimus summam totius Ambrosianae expositionis partem ex duobus auctoribus, Galeno et Apuleio, fluxisse, tractandae restant paragraphi 54, 55, 56, 63—67, 69, 72, 74, de quarum fonte non eadem fide et probabilitate agi potest, quod Ambrosii exemplar aetatem non tulisse mihi persuasum est. Itaque satis habebo 1) demonstrare illas paragraphos summam partem ex uno fonte desumptas esse, 2) libri compilati indolem adumbrare, 3) eos scriptores, qui ex eodem vel cognato fonte hauserunt, indicare. —

Ambrosium in libris suis cum aliorum philosophorum tum Stoicorum doctrina saepe niti optime id opus, quod De officiis ministrorum inscribitur, testatur. Quo in scripto Ambrosius Ciceronis De officiis libros secutus Stoicorum de philosophia morali placita cum Christianorum praeceptis usque eo commiscuit, ut multa aliena esse videantur a Christiani cogitandi et scribendi ratione[1]). Similiter res se habet in ea expositione, quae nobis proposita est. Nam in hoc quoque tractatu Ambrosius medicorum placita Galeno, Platonis opiniones Apuleio debet. Neque minus ex reliquis partibus certa naturalis philosophia elucet, quae clarissime ad Stoicum auctorem spectat.

In disquisitione nostra ordiamur a paragr. 66/67, ubi scriptor de voce haec refert „vox quoque aeris quodam remigio vehitur et per inane portatur eademque vi sua

---

[1]) cf. Förster l. c. p. 184: Das Fachwerk der alten Ethik wurde mit herüber genommen und benutzt, um den neuen christlichen Inhalt hineinzulegen. Der neue Wein wurde in alte Schläuche gefaßt, und was herauskommt, ist nicht christliche Ethik, sondern ein aus christlichen und antiqnen Elementen bestehendes Gemisch. Daß die stoisch-ciceron. Sätze für sich auch wohl eine christliche Deutung zulassen, ist gewiß, und Ambrosius hat unzweifelhaft diesen Sinn untergelegt und darum unbedenklich jene Gedanken herübergenommen, aber unzusammenhängend und losgelöst vom christlich kirchlichen Prinzip müssen sie dem Leser fremdartig erscheinen . . .

aerem verberat". Qui locus apertissime cum Stoicorum naturali opinione, qua credebatur vocem esse corpus et aerem verberare, conspirat, cf. Diog. L. VII 55: *Ἔστι δὲ φωνὴ ἀὴρ πεπληγμένος ἢ τὸ ἴδιον αἰσθητὸν ἀκοῆς, ὥς φησι Διογένης ὁ Βαβυλώνιος . . . καὶ σῶμα δ' ἐστὶν ἡ φωνὴ κατὰ τοὺς στωικούς.* Praeterea Ambrosius, cum dicat vocem aeris quodam remigio vehi, animo eandem informat imaginem atque Stoici, qui aerem voce verberatum tamquam fluctuare opinabantur, cf. Diog. L. VII 158 *ἀκούειν δὲ τοῦ μεταξὺ τοῦ τε φωνοῦντος καὶ τοῦ ἀκούοντος ἀέρος πληττομένου σφαιροειδῶς, εἶτα κυματουμένου καὶ ταῖς ἀκοαῖς προσπίπτοντος, ὡς κυματοῦται τὸ ἐν τῇ δεξαμενῇ ὕδωρ κατὰ κύκλους ὑπὸ τοῦ ἐμβληθέντος λίθου.* Videmus Ambrosium cum Stoicis de voce emissa omnino consentire. Sed ab eorum disciplina digressus dicit vocem per inane portari, cum Stoici in mundo quicquam inane esse negarent. Unde colligitur aut Ambrosii auctorem Stoicorum placita minus accurate expressisse, aut Ambrosium ipsum parum diligenter illud Stoicorum *ἄπειρον*, i. e. infinitum[1]), ita reddere.

Praeterea aliis argumentis confirmatur Ambrosium in hac expositione Stoicum auctorem sequi. Nam pergit rationem, quae summum atque praestantissimum hominum bonum sit, diserte praedicare et laudare. Quamquam negare nequit vocem hominum cum avibus communem esse, tamen ratione dicit homines omnes animantes multo anteire. Pari modo etiam Stoici homines ratione praeditos ceteris animalibus longe antecellere atque deorum similes esse voluerunt[2]). —

Similiter Ambrosius concedere debet etiam aspectum

---

1) cf. Plut. Plac. philos. IV 19, 5. *Οἱ δὲ Στωικοί φασι τὸν ἀέρα μὴ συγκεῖσθαι ἐκ θραυμάτων, ἀλλὰ συνεχῆ εἶναι, δι' ὅλου μηδὲν κενὸν ἔχοντα· ἐπειδὰν δὲ πληγῇ πνεύματι, κυματοῦσθαι κατὰ κύκλους ὀρθοὺς εἰς ἄπειρον, ἕως πληρώσῃ τὸν περικείμενον ἀέρα, ὡς ἐπὶ τῆς κολυμβήθρας τῆς πληγείσης λίθῳ.*

2) cf. Cic. De nat. deor. II 134. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. Hi sunt di et homines, quibus profecto nihil est melius, ratio est enim, quae praestat omnibus.

omnibus animantibus communem esse. Sed eodem modo atque antea ratiocinatus dicit soli homini inesse intellectum, quo ea, quae in caelo aspiciat, etiam comprehendere possit. Scriptor in hanc sententiam locutus iterum bene cum Stoicorum cogitandi et philosophandi ratione consentit[1]). —

Videmus totum hunc tractatum ad Stoicorum physicas opiniones revocari posse. Neque aliam naturalem philosophiam agnoscimus ex reliquis partibus, quae in censum veniunt. Id quod protenus docet proxima paragraphus 68, quae fere tota ex Apulei et librorum sacrorum locis conflata unam sententiam alienam continet. Exeunte enim hac parte Ambrosius cum dicat „absolvimus velut quandam humani corporis regiam, in qua sit licet quaedam quantitas portionis, forma tamen universitatis est“ aperte caput rotundum et globo simile esse exprimere vult, quam formam perfectissimam[2]) et mundi vel universitatis sphaerae instar esse Stoicis placuit. — Apparet Ambrosium hoc loco eundem, quo paulo ante usus erat, Stoicum auctorem respicere. —

Denique reliquas Ambrosianae enarrationis partes similem prae se ferre naturalem opinionem facile cognoscitur. In paragr. 54 scriptor exponit corporis humani formam venustam et erectam[3]) omnium animalium figuris praestantiorem esse, in paragr. 56[4]) verticis pulchritudinem et capillorum utilitatem miris laudibus praedicat. In paragr. 69 ostendit manus et ad corpus tuendum et ad capitis verticem exornandum multum conferre. Ineunte paragr. 70 explicat, quanto usui pectoris cratis visceribus mollioribus sit, denique in paragr. 74[5]), in qua pauca tantum

---

[1]) Simili modo de caelestium aspectu et intellectu loquitur Cicero l. c. § 153.

[2]) cf. Cic. l. c. § 47. Quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnis alias figuras continet, quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? cumque duae formae praestantes sint, ex solidis globus . . . ex planis autem circulus et orbis.

[3]) Corporis humani statum erectum laudat etiam Cic. l. c. § 140.

[4]) De paragr. 55 postea disputabo.

[5]) De paragr. 72 infra disseram.

verba respicienda sunt, homines etiam pedum numero a ceteris animantibus avibus exceptis differre commemorat. —

Ex hoc brevi conspectu patet Ambrosium, quem in his quoque partibus distinctam auctoris scribendi rationis effigiem dare manifestum est, certam philosophandi viam et rationem sequi. Compluribus locis hominum natura cum ceterorum animantium comparata illorum praestantiam praedicat. Praeterea singularum corporis partium non tantum usum, sed etiam pulchritudinem multo studiosius fortiusque quam eis locis, quibus e Galeno et Apuleio pendet, laudibus celebrat. Quacum philosophorum disciplina haec cogitandi ratio optime conveniat docet Cicero, qui de Stoicorum naturali opinione refert:[1]) „Jam membrorum, id est partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes ... alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum, ut . . . viris mammae atque barba."

Quibus expositis exploratum habeo eum auctorem, quem Ambrosius in illis partibus potissimum secutus est, id spectasse ut humani corporis indolem perfectam demonstraret. —

Postquam hoc comprobavimus, nostra interest scire, apud quos scriptores similis doctrina deprehendatur. Nam exspectandum est, ut his adiuvantibus eae Ambrosianae expositionis partes, quae ex uno fonte desumptae inter se coniungendae sunt, clarius distinguantur.

Nobis quaerentibus se obviam fert Lactantii libellus, qui De opificio Dei inscribitur. Fontibus huius scripti investigandis operam navavit Brandt, Lactantii editor, in Stud. Vindob. XIII (1891) p. 255—292. Quid vir doctus inquisitione sua effecerit breviter explanare mihi liceat. —

Brandt totius libelli duas partes dicendi colore inter se diversas discernit, quarum priore (c. 5—13) de corpore humano, posteriore (c. 13—19) de animo et anima agitur. Quae libelli partes in universum eo differunt, quod in altera creatoris providentia et corporis humani natura perfecta

---

[1]) De finib. III 18.

collaudatur[1]), cum in altera parte scriptor de mente et anima nihil pro certo affirmare audeat et de philosophorum decretis dubitare malit[2]). — Jam vero quod ad auctores attinet, Brandt existimat hoc scriptum nonnullis capitibus exceptis[3]) ex duobus fontibus principalibus confluxisse. Alterum significat littera A, ex quo Lactantium pleraque eorum, quae in priore parte leguntur, hausisse censet. Auctorem A Hermeticum fuisse scriptorem, qui omnes corporis partes et utilissimas et pulcherrimas, denique totum hominem ad imaginem Dei factum esse demonstrare voluisset. Brandt ita iudicans ipsius Lactantii testimonio nititur, ubi scriptor dicit[4]): „quod Hermes quoque tradit, qui non tantum hominem ad imaginem dei factum esse dixit a deo, sed etiam illud explanare temptavit, quam subtili ratione singula quaeque in corpore hominis membra formaverit, quod eorum nihil sit, quod non tantundem ad usus necessitatem quantum ad pulchritudinem valeat. Id vero etiam Stoici, cum de providentia disserunt, facere conantur et secutus eos Tullius pluribus quidem locis . . .“ Quamquam Brandt Lactantii Hermeticas partes distincte designare nequit, tamen sibi persuasit ex hoc fonte caput 2, multa in cap. 5, caput 7, complura in cap. 8, 1–8, multa in cap. 10, caput 13 fluxisse[5]). Utrum Lactantius exemplar Graecum an translationem Latinam ante oculos habuerit Brandtio deliberatum non est. —

Alterum auctorem, quem Brandt siglo B significat, scriptorem Latinum fuisse censet, qui corporis perfectionis fere nullam rationem habuisset[6]). Ex hoc fonte Lactantium nonnulla eorum, quae in priore parte exstant, praecipue omnia veriloquia Varroniana, et plurima eorum, quae in altera parte describuntur, sumpsisse existimat. —

---

1) cf. Brandt p. 270, 286.
2) cf. Brandt p. 276 sqq.
3) cap. 3, 4, 6, 8 § 12—14 cf. Brandt p. 289.
4) Instit. II, 10, 13.
5) Brandt p. 275.
6) Brandt p. 287.

Praeterea Brandt observavit cum Lactantio nonnullis locis Nemesium episcopum in eo libro, qui *Περὶ φύσεως ἀνθρώπου* inscribitur, mire consentire. Sed quod Nemesii loci similes semper in alio sententiarum contextu occurrunt, Brandtio persuasum est Nemesium, quamquam ad eundem principalem auctorem rediret, remotiore fonte usum esse[1]). Quid de hoc auctore sentiat Brandt accuratius non exponit, nisi quod de Stoico scriptore Graeco cogitat, ex quo etiam in quasdam Ciceronis disputationes Stoicas complura fluxerint. Ita factum esse censet, ut Lactantius Nemesius Cicero saepius eodem auctore primo nixi similem doctrinam praeberent[2]). —

Quibus explanatis ad Ambrosium revertamur, qui in eis partibus, quas supra tractavimus, saepius adeo cum quibusdam Lactantii locis conspirat, ut certam rationem inter utrumque scriptorem intercedere negari nequeat. Ut haec intellegantur, conferamus ea, quae uterque de dentium et vocis muneribus profert. De quibus Ambrosius hunc in modum disputat § 66—67): „denique aevi maturos plerumque cernimus hoc ipso citius senescere, quod amissis dentibus nullam possint cibi virtutem validioris adsumere. ideo muta infantia, quia non habet adhuc organum vocis. linguae quoque non solum in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est. ea enim velut plectrum loquentis et quaedam edentis est manus, quae defluentem cibum dentibus suggerit et ministrat[3]). . sit igitur nobis canorum commune cum avibus, sed apud quem quo sono vocis utatur, quod est rationabile, non potest cum omnibus animantibus inrationalibus scilicet esse commune . . . soli inest homini eorum quae aspiciat affectus interpres."

Eandem fere sententiarum nexum invenimus apud Lactantium c. X § 12—16 „. . . oris usus in duobus constat officiis

---

[1]) cf. Brandt p. 276 sqq., edit. p. 6 adn.

[2]) Brandt p. 279 adn. p. 282 sq.

[3]) Haec verba ipsa Ambrosius ex Apuleio, cui in hac parte complura debet, sumpsisse videtur, cf. cap. XV. ineunte: „inferiora membra . . . ipsa ministerium suggerunt victuale".

sumendi victus et eloquendi. lingua intus inclusa, quae vocem motibus suis in verba discernit et est interpres animi . . . dentes tamen plus conferunt ad loquendum: nam et infantes non ante incipiunt fari quam dentes habuerint et senes amissis dentibus ita balbuttiunt, ut ad infantiam denuo revoluti esse videantur. sed haec ad hominem solum pertinent aut aves, in quibus acuminata et vibrata certis motibus lingua innumerabiles cantuum flexiones et varios sonorum modos exprimit. habet praeterea et aliud officium . . . quod contritos et permolitos dentibus cibos colligit et conglobatos vi sua deprimit et transmittit ad ventrem . . . Haec itaque palati concavo tamquam testudine tegitur . . ." Observamus igitur inter utrumque scriptorem miram sententiarum concinnitatem. Uterque de usu, quem senes et infantes ex dentibus capiunt, loquitur, uterque duplex oris munus in edendo et loquendo constare exponit, uterque ostendit cantum hominibus cum avibus communem esse, uterque linguam ad cibos dentibus colligendos conferre enarrat, uterque os cum testudine quadam similiter comparat. Sed ab altera parte neminem fugiet Ambrosium et Lactantium in singulis sententiis interpretandis saepius inter se dissidere. Sic de usu, quem dentes senibus afferunt, non idem exhibent. Praeterea Ambrosius id, quod Lactantius laudat, tamquam invitus concedit, scilicet hominibus cum avibus canorum commune esse. Denique apud Ambrosium illud „interpres", quod nescio an ex Graeco ἐξάγγελος ortum sit[1]), eandem vim habet atque λόγος ἐνδιάθετος, cum apud Lactantium idem valeat atque λόγος προφορικός. Quibus exemplis edocemur Ambrosium certe non ex Lactantio pendere, sed utrumque scriptorem ad Stoicum auctorem redire, cuius doctrina per Hermeticum scriptorem, si Brandtii sententia vera est, ad Lactantium fluxit. — Hoc etiam alio luculento exemplo confirmatur. Brandt enim recte observavit Lactantium, cum dicat „habet praeterea et aliud officium . . . quod contritos et permolitos dentibus cibos colligit et conglobatos vi

[1]) cf. Heinze, Logos p. 142 ἐξάγγελος τῶν ἔνδον λογισμῶν.

sua deprimit et transmittit ad ventrem“ linguae munus simillimo modo describere atque Ciceronem in Stoico illo tractatu[1]): „Dentibus autem in ore constructis manditur atque extenuatur et molitur cibus . . . Atque is (stomachus) agitatione et motibus linguae cum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit.“ Praeterea Brandt conferri iubet Nemesii locum, ubi exstat (p. 238 M): *Μεγίστην γὰρ καὶ ἡ γλῶττα χρείαν παρέχεται τῇ διαμασήσει, συνάγουσα τὴν τροφὴν καὶ τοῖς ὀδοῦσιν ὑποβάλλουσα, καθάπερ αἱ ἀλετρίδες διὰ τῆς χειρὸς τὸν σῖτον ταῖς μύλαις. τρόπον γάρ τινα καὶ ἡ γλῶττα χείρ ἐστι τῆς διαμασήσεως. οὕτω δὲ κατεργασθεῖσα ἡ τροφὴ παραπέμπεται τῇ κοιλίᾳ διὰ τοῦ στομάχου.* Sed idem consensus conspicitur inter haec Nemesii verba et Ambrosii locum supra allatum, ubi legimus „lingua... quaedam edentis est manus, quae defluentem cibum dentibus suggerit et ministrat“. Ex hoc exemplo patet Ambrosium, cum dicat linguam tamquam manum ad cibos colligendos esse, in eis quoque, quae apud Lactantium et Ciceronem non leguntur, cum Nemesio concordare. Haec res unam tantum recipit explicationem: Ambrosius et Lactantius ad eundem auctorem Graecum redeunt, ex quo frustula quaedam e sententiarum nexu soluta etiam in Nemesii librum invaserunt. Hic auctor communis ex cognato, fortasse eodem fonte hausit, quo etiam Cicero in Stoica illa corporis descriptione usus est[2]). —

Praeterea aliis exemplis evincitur Ambrosii et Lactantii enarrationes artius coniungendas esse. Nam certe non casu factum est, ut Ambrosius eis tantum locis, qui ad Galenum vel Apuleium auctores referri non potuerunt, cum Lactantio conspiret. Ita consentiunt etiam de brachiis et manibus, de

---

[1]) De nat. deor. II 134—135.

[2]) Hirzel „Untersuchg. zu Cic. philos. Schr. I 1877 p. 191 sqq. existimat Ciceronis paragraphos 133—154 coniungendas et ex Panaetio depromptas esse Quam sententiam comprobat Reinhardt (Breslauer philol. Abhdl. III_2 (1888) p. 45 sqq. Contra Schwenke (Jahrb. f. klass. Philol. 119 (1879) p. 129 sqq.) totum librum II ex Posidonio desumptum esse censet.

quibus Lactantius in eodem capite dicit (c. X 21): „cetera quam decora sint vix exprimi potest . . . valida et substricta nervis ad fortitudinem brachia, insignibus toris extantium lacertorum vigens robur, utilis ac decens flexura cubitorum. quid dicam de manibus rationis ac sapientiae ministris? quas sollertissimus artifex . . si quid tenendum sit . . . in digitos terminavit". In eandem sententiam loquitur Ambrosius (§ 69) „succedunt brachia et validi lacertorum tori, validae ad operandum manus et procerioribus digitis habiles ad tenendum . . . manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix." Quo loco Ambrosius eo tantum a Lactantio recedit, quod eandem sententiam adiectis librorum sacrorum locis valde amplificatam reddit. — In proxima paragrapho (70) Ambrosius de pectoris crate haec praebet: „quis digne explicet pectoris cratem ventrisque mollitiam? aliter enim viscera molliora non possent foveri et intestinorum sinus duris haut dubie ossibus laederentur". De eadem re Lactantius pari modo disputat in cap. V § 5 „ex eius (spinae) parte quasi media costas id est transversa et plana ossa porrexit in diversum, quibus clementer curvatis et in se velut in circulum paene conductis interna viscera contegantur. Ut ea, quae molliora et minus valida fieri opus erat, illius solidae cratis amplexu possent esse munita." Videmus Lactantium simili modo atque Ambrosium exponere, quanto usui pectoris cratis visceribus mollioribus sit. — Denique uterque scriptor eandem philosophandi rationem secutus capitis figuram perfectam esse similiter demonstrat. Ambrosii locum iam supra attulimus, quo dicit (§ 68): absolvimus velut quandam humani corporis regiam, in qua sit licet quaedam quantitas portionis, forma tamen universitatis est." Qui sit sensus huius enuntiati intellegitur ex Lactantii accuratiore explanatione (cap. VIII § 4) „hanc eius aulam deus non obductam porrectamque formavit ut in mutis animalibus, sed orbi et globo similem, quod orbis rotunditas perfectae rationis est ac figurae." Hoc igitur loco Lactantius clarioribus verbis de eadem Stoicorum opinione agit, quam Ambrosius exeunte paragrapho 68 ab Apuleio auctore digressus breviter attingit. —

Postquam ex compluribus exemplis cognovimus inter Lactantium et Ambrosium saepius apertum consensum intercedere, colligere licet has scriptorum partes arte inter se coniungendas esse, praesertim cum omnia exempla ex Ambrosio modo allata eis locis inveniantur, quibus scriptor a Galeno et Apuleio auctoribus discedit. Nam perspicias quaeso paragr. 66—70, in quibus Ambrosius plerumque Apuleium auctorem respicit. Sed ubi ab exemplis Apuleianis recedit, semper cum Lactantio conspirat. Unde nos optimo iure concludere existimo hanc doctrinam ex communi fonte ad Lactantium et Ambrosium manavisse. Quae cum ita sint, etiam facile intellegitur cur inter Lactantium et Ambrosium longe alia ratio intercedat atque inter Ambrosium et Galenum vel Apuleium, quibuscum ille saepe ad verbum congruit. Tantus consensus apud Lactantium et Ambrosium numquam deprehenditur neque postulari potest, quod scriptores ipsi inter se non cohaerent, sed ad communem auctorem redeunt. Quo sensu et qua ratione hic de corporis natura egerit non difficile est diiudicatu. Ex Ambrosio enim supra conclusimus eas expositionis partes, quae neque ex Galeno neque ex Apuleio desumptae sunt, fere omnes ex Stoico auctore haustas esse. Bene cadit quod Brandt de fonte eorum Lactantii locorum, quos modo ex capp. 5, 8, 10 attulimus, fere idem cogitat. Haec ipsa enim capita Hermetico illi auctori assignat, qui Stoicos secutus corporis partium utilitatem et pulchritudinem descripsit. Itaque nemo nisi Stoicus auctor in censum venit, cui Lactantius et Ambrosius eruditionem tam similem et cognatam debent.

Nobis ita iudicantibus alius scriptor succurrit, qui huic sententiae vim et firmamentum adfert. Observavit enim Brandt etiam Galenum in libris de usu partium scriptis, quos ad Ambrosii fontes investigandos iam supra adhibuimus, de corporis natura nonnullis locis simili ratione disserere atque Lactantium [1]. Unde Brandtium recte collegisse existimo Galenum nonnumquam cognato fonte Stoico usum esse. Sed

[1]) cf. Brandt l. c. p. 259, 261.

quod vir doctus hanc rem obiter tantum in transitu attigit, nobis Galeni locos similes paulo accuratius examinare liceat. Nam exemplis e Galeni libris arcessitis ea confirmari puto, quae de Lactantii et Ambrosii fontium communione modo statuimus. —

Galenum in illis libris multa Stoicorum ratione describere, quin etiam ipsos Stoicos auctores compilare constat. Jam supra cognovimus Ciceronem et Galenum de oculorum situ munitissimo mire consentire. Comparandi causa utriusque scriptoris locos similes subiciam. Galenus dicit p. 790 K: *τὰς μὲν βλεφαρίδας οἷον χάρακά τινα τῶν μικρῶν ἕνεκα προτάξας σωμάτων, ὡς μὴ ῥᾳδίως ἐμπίπτειν ἀνεῳγόσι τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑπὸ τῶν τριχῶν τούτων ἀπειργόμενα . . . πρὸς δὲ τὴν τῶν ἔτι μειζόνων ὄγκων προσβολὴν ἄνωθεν μὲν τὰς ὀφρῦς προὐτάξατο, κάτωθεν δὲ τὰ μῆλα, κατὰ τὸν μέγαν κάνθον τὴν ῥῖνα . . . .* p. 794 *αἱ μὲν ἐν ταῖς ὀφρύσιν (τρίχες) ἅπαν τὸ καταῤῥέον ἀπὸ τοῦ μετώπου τε καὶ τῆς κεφαλῆς ὑποδεχόμεναι, πρὶν ἐμπεσεῖν τοῖς ὀφθαλμοῖς* . . . . Quocum cf. Cic. De nat. deor. II 143 „Munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur . . . . Latent praeterea utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite et fronte defluentem repellunt. genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae leniterque eminentes, nasusque ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse videatur". Videmus Ciceronis et Galeni locos ita conspirare, ut utrumque scriptorem ex cognato fonte Stoico hausisse manifestum sit. — Praeterea ex alio exemplo evincitur Galenum nonnullis locis simili eruditione niti atque scriptores supra adhibitos. Animadvertimus enim Ciceronem Lactantium Nemesium Ambrosium eo consentire, quod dentes genuinos tamquam molas esse dicerent, quibus cibus interpositus contereretur et moleretur. Praeterea Nemesius et Ambrosius linguam cum manu quadam comparaverunt, qua defluentes cibi dentibus rursus colligerentur et subministrarentur. Fere idem refert Galenus, qui, postquam de temporalibus et masticatoribus musculis egit, haec

dicit (p. 854): *ἐκεῖνοι (μύες) μὲν γὰρ ἓν τουτὶ ἔργον μόνον ἐν ταῖς μασήσεσι παρέχονται, σφοδρῶς ἀλλήλοις συμβάλλειν τοὺς ὀδόντας, ᾧ συνέπεται θραύειν, εἴ τι μεταξὺ παρακέοιτο· τὸ δ' ὥσπερ ὑπὸ μύλων τῶν γομφίων λειοῦσθαι τὴν τροφὴν τῶν μασητήρων ἔργον μυῶν. οὗτοι δ' αὐτοὶ καὶ μεταβάλλουσι τὰ σιτία, καὶ τὰ τῶν ὀδόντων ἀποπίπτοντα παράγειν αὐτοῖς ἐπιβάλλουσι, τεινόμενοί τε καὶ προστελλόμενοι, τῶν κροταφιτῶν μυῶν μηδὲν εἰς τοῦτο συμβαλλομένων. ἀλλ' ἡ γλῶττα μὲν οὐ σμικρὰ διαπράττεται περὶ τὴν ἐνέργειαν αὐτήν, οἷα χεὶρ ἀεὶ μεταβάλλουσα καὶ στρέφουσα τὴν ἐν τῷ στόματι τροφὴν ὑπὲρ τοῦ πᾶν ὁμοίως αὐτῆς καταθραύεσθαι μέρος·* . . . Iterum Galenus, quamquam multo maiore verborum ambitu utitur, in re principali cum illis scriptoribus consentit. Sed, iniciat quispiam, hausitne Ambrosius fortasse ex ipso Galeno, quem aliis locis eius auctorem esse comprobavimus? Certe non. Totus enim Galeni sententiarum nexus ab Ambrosiano prorsus alienus est. Neque minus ipsum Galeni exemplum modo allatum discrepantiam satis notabilem praestat. Nam Lactantius Nemesius Ambrosius dicunt cibos lingua dentibus colligi et committi, cum Galenus idem munus musculis masticatoribus attribuat. Vel ex hoc dissensu concludas Galenum Ambrosii auctorem non esse. —

Postquam haec exempla docuerunt Galenum in his libris nonnumquam ex simili fonte Stoico hausisse atque Ciceronem Lactantium Nemesium Ambrosium, iam pervenio ad eum Galeni tractatum, quo Lactantii et Ambrosii partes supra designatas artius coniungendas esse et ex Stoico auctore fluxisse confirmatur. In hac quoque re expedienda observabis inter Galenum et Ambrosium longe aliam rationem intercedere atque eis locis, quibus alter ab altero pendet. Ubi enim Ambrosius Galenum ipsum secutus est, ex uno auctoris capite sententiarum cum sensum tum verba arripuit, cum in eis partibus, quas collaturus sum, nulla consensio deprehendatur nisi in rebus ad Stoicorum physicam rationem spectantibus. Sed ad ipsa exempla descendamus.

Galeni libro tertio de pedibus agitur. Priusquam autem

scriptor inde a cap. IV (p. 184) ad singulas pedum partes describendas transeat, in exordio (c. I—III = p. 168—184) ostendit omnia animalia pedibus ita instructa esse, ut perfectius nihil excogitari posset. In hac expositione Galenus Stoicorum placita secutus haud raro cum quibusdam Lactantii vel Ambrosii locis ad eandem disciplinam pertinentibus aperte consentit. Quae ratio ut clarius perspiciatur, sententiis a Galeno prolatis Lactantii vel Ambrosii locos similes statim adiungam. —

Ineunte libro III Galenus inde proficiscitur, quod manus soli animali ratione praedito convenire dicit (168): „*χεῖρας μὲν δὴ μόνος ἁπάντων ζῴων ἄνθρωπος ἔσχεν, ὄργανα πρέποντα ζῴῳ σοφῷ· δίπουν δ' αὐτὸ μόνον ἐν τοῖς πεζοῖς ἐγένετο καὶ ὀρθόν, ὅτι χεῖρας ἔσχε.* Galenus igitur censet manus, quibus omnes animantes inrationales careant, rationis tamquam esse instrumenta. Eandem opinionem Lactantius nonnullis locis comprobat: c. VII 8 „ubi autem ratio et manus est, tam non est id necessarium quam indumentum pilorum: adeo in suo quaeque genere aptissime congruunt . . ." c. X 22 „quid dicam de manibus rationis ac sapientiae ministris? quas sollertissimus artifex . . . in digitos terminavit?" Praeterea Galenus illo loco dicit ea animalia, quibus natura manus dederit, bipedia et erecta constituta esse. Similis sententia occurrit apud Lactantium in cap. VIII 2 „cum igitur statuisset deus ex omnibus animalibus solum hominem facere caelestem, cetera universa terrena, hunc ad caeli contemplationem rigidum erexit bipedemque constituit . ." Eodem spectant Ambrosii verba (§ 54) „forma humani corporis est venustior, status erectus et celsus . . ."

Galenus pergit (168): . . . *ἐπὶ μὲν ἐλάφων τε καὶ κυνῶν καὶ ἵππων καὶ τῶν ἄλλων παραπλησίων τὰ πρόσθια κῶλα τοῖς ὄπισθεν ὁμοιοσκελῆ γέγονε, καὶ τοῦτ' αὐτοῖς εἰς τάχος συντελεῖ· ἀνθρώπῳ δὲ — ἄμεινον ἦν μακρῷ πρὸ τῆς ὠκύτητος ὄργανα σχεῖν εἰς ἁπάσας τέχνας ἀναγκαῖα — τὰ πρόσθια κῶλα χεῖρες ἐγένοντο.* Quo loco Galenus ostendit quattuor membris omnibus animalibus opus fuisse. Discrimen in eo tantum constare, quod animalibus rationis expertibus anteriora posterioribus

similia, hominibus vero manus factae sint. Eandem rem Lactantius his verbis exprimit (c. V 2): „ex ipso autem vasculo corporis quattuor fecit extantia, bina posterius, quae sunt in omnibus pedes, item bina capiti et collo proxima, quae varios usus animantibus praebent, in pecudibus enim ac feris pedes sunt posterioribus similes, in homine autem manus, quae non ad ambulandum, sed ad faciendum tenendumque sunt natae". —

Galenus postquam demonstravit homines ad ingrediendum et operandum aptissimis instrumentis instructos esse, digressione facta (p. 169—175) quaerit, num hominibus, si eodem modo atque Centauri quattuor pedes et praeterea manus accepissent, talis corporis indoles maiori utilitati fuisset. Quam opinionem reiciendam esse censet, quod homines ita comparati ad omnes fere res actionesque perficiendas impedirentur. Deinde Galenus, qui in hac explanatione cum Lactantio vel Ambrosio nihil commune habet, ad priorem disputationem reversus ostendit etiam quadrupedes multifidis et solidis ungulis, aduncis unguibus, cornibus ita armatos esse, ut optime cuique praecautum et prospectum esset. Similiter Lactantius in c. II creatoris providentiam laudat, veluti c. II § 4 „itaque alia eorum vel plumis levibus in sublime suspensa sunt vel suffulta ungulis vel instructa cornibus, quibusdam in ore arma sunt dentes aut in pedibus adunci ungues: nulli munimentum ad tutelam sui deest".

Ex tali argumentatione Galenus concludit ceteris animantibus rectissime quattuor pedes, homini vero, qui manibus et ratione praeditus hoc munimento non egeat, duos convenire. Unum tantum animantium genus excipit, quod eodem modo atque homines bipes constitutum sit, scilicet aves, cf. Gal. p. 178 sq. *διὰ ταῦτα μὲν δὴ τοῖς ἄλλοις ἅπασι ζῴοις τοῖς ἐναίμοις τετράποσιν εἶναι βέλτιον ἦν, ὥπερ τοῖς ἀναίμοις πολύποσι· διὰ δ' αὖ τἀναντία τούτων τοῖς ἀνθρώποις δίποσιν, ὡς ἂν μήτε τῆς ὠφελείας, ἧς τἄλλα ζῷα, πρὸς τοῦ πλήθους τῶν σκελῶν ἀπολαύειν δεομένοις, εἰς πολλά τε βλαβησομένοις, εἰ μὴ δίποδες εἶεν. ἀλλὰ δίποδες μὲν καὶ ὄρνιθες· ὀρθὸς δὲ μόνος ζῴων ἁπάντων ὁ ἄνθρωπος . . .*

Brevissime etiam Ambrosius de pedum numer singulis animantium generibus attributo refert (74): „recte autem non plures, sed duo sunt homini pedes; quaterni enim pedes feris ac beluis sunt, bini avibus. et ideo unus quasi de volatilibus est homo[1])" quo loco Ambrosius aperte perfectam corporis humani indolem indicare vult. — Galenus pergit: *μόνῳ γὰρ αὐτῷ* (sc. *ἀνθρώπῳ*) *κατ' εὐθὺ τῶν σκελῶν ἡ ῥάχις ἐστίν, εἰ δ' αὕτη, δηλονότι καὶ τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα τὸ πρὸς τὴν ζωὴν ἀναγκαῖον. οἷον γάρ τις τρόπις ἡ ῥάχις τούτου τοῦ σώματος ὑπάρχει . . . μόνοις δὲ τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ μιᾶς εὐθείας ἐκτέταται*, ubi Galenus spinam humanam simili modo cum carina navali comparat atque Lactantius c. V 4: „atque ut ipsam corporis crassitudinem firmiter comprehenderet, maioribus et brevibus ossibus invicem colligatis quasi carinam conpegit, quam nos dicimus spinam[2])". — In sequenti expositione Galenus, postquam demonstravit etiam sedendi facultatem solis hominibus datam esse (p. 179—181), exsequitur hominem omnibus animalibus eo longe praestare, quod celsus et erectus factus sit, illa autem proiecta et prona cf. p. 181: *ὥστ' εὐλόγως εἴπομεν, ἄνθρωπον ὀρθὸν μόνον ἵστασθαι. τὰ γὰρ ἄλλα ζῷα, τὰ μὲν μᾶλλον, τὰ δ' ἧττον, ἅπαντα δ' οὖν ἐστι πρηνῆ, τρόπον ὁμοιότατον βαδίζοντα τοῖς ἐπὶ τῶν χειρῶν ἕρπουσι βρέφεσιν.* Eandem opinionem Lactantius loco iam supra allato hoc modo exprimit c. VIII 2 „cum igitur statuisset deus ex omnibus animalibus solum hominem facere caelestem, cetera universa terrena, hunc ad caeli contemplationem rigidum erexit bipedemque constituit, scilicet ut eodem spectaret, unde illi origo est, illa vero depressit ad terram, ut quia his nulla immortalitatis exspectatio est, corpore in humum proiecta ventri pabuloque servirent". Lactantius igitur existimat hominem ea de causa humo excitatum esse, ut caelum

---

[1]) Ea, quae insequuntur, fortasse ex Basilio desumpta sunt cf. p. 13 h. opusc.

[2]) Brandt adnotat etiam Nemesium spinam cum carina navali comparare. cf. Nemes. p. 262: *τὰ δ' ὀστᾶ στήριγμα τοῦ παντὸς σώματός ἐστι, καὶ μάλιστα ἡ ῥάχις, ἣν καὶ τρόπιν τοῦ ζῴου φασὶν εἶναι.*

aspicere posset. Idem cogitat Galenus, qui hanc sententiam copiosius et uberius exsequitur (182): *τὸ δ᾽ οἴεσθαι, διὰ τοῦτο ὀρθῶς ἑστάναι τὸν ἄνθρωπον, ἵν᾽ εἰς τὸν οὐρανὸν ἑτοίμως ἀναβλέπῃ, καὶ λέγειν ἔχῃ „Ἀνταυγέω πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις“, ἀνθρώπων μέν ἐστιν οὐχ ἑωρακότων οὐδεπώποτε τὸν καλούμενον οὐρανοσκόπον ἰχθύν· ὡς οὗτός γε, κἂν εἰ μὴ βούλοιτο, πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀεὶ βλέπει, ἄνθρωπος δὲ, εἰ μὴ τὸν τράχηλον ἀνακλάσειεν εἰς τοὐπίσω, τὸν οὐρανὸν οὐκ ἄν ποτε θεάσαιτο. τουτὶ δὲ τὸ ἀνακλᾷν οὐ μόνῳ δήπουθεν ὑπάρχει τούτῳ τῷ ζῴῳ, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧττον καὶ τοῖς ὄνοις, ἵνα παραλείπω τοὺς μακροτραχήλους ὄρνιθας . . . τὸ δὲ μηδὲ Πλάτωνος αὐτοὺς ἀκηκοέναι λέγοντος, ὡς οὐ τοῦτ᾽ ἔστι τὸ ἄνω βλέπειν, ὅταν τις ὕπτιον αὑτὸν ἀνακλίνειε χασμώμενος, ἀλλ᾽ ὅταν, οἶμαι, τῷ νῷ τὴν τῶν ὄντων φύσιν ἐπισκοπῆται, δεινῶς ὀλίγωρον.* Videmus Galeno solum caelestium aspectum non sufficere, quod et pisces et asini et aves caelum suspicere possint. Itaque Platoni adstipulatus postulat, ut homo in rebus caelestibus contemplandis mente et ratione utatur. Cum hac opinione, quam etiam apud Ciceronem invenimus[1]), Ambrosius mire consentit (§ 67): „erigit et bucula ad caelum oculos, sed quid spectet ignorat, erigunt ferae, erigunt aves, omnibus est liber aspectus, sed soli inest homini eorum quae aspiciat affectus interpres“. — Denique unum exemplum ex capite IV afferam, in quo Galenus sibi quaestionem proponit, qualis pedum constitutio homini maiori usui sit: utrum rotunda et dura, quae quadrupedum propria sit, an porrecta et longa, quam homines a natura acceperint. Galenus iudicat homini alteram convenire, quod animal bipes, si rotundis pedibus insisteret, tuto ambulare non posset, cf. p. 185 *„τοῖς μὲν γάρ, ὅτι τετράποδές εἰσιν, ἀσφαλῶς ἐπὶ τῶν τεττάρων ὑπάρχει βεβηκέναι στρογγύλων γενομένων· δίποδι δὲ ζῴῳ σφαλερὰ παντελῶς ἡ τοιαύτη κατασκευή . . .* Idem comprobat Lactantius in cap. XIII 6: „quae (plantae) quoniam totius operis quasi fundamenta sunt, eas mirificus artifex non rotunda specie, ne homo stare non

---

[1]) Cic. De nat. deor. II 140, 153.

posset, aut aliis ad standum pedibus indigeret sicut quadrupedes, sed porrectioresque longioresque formavit."

Sed haec hactenus! Vidimus complures Lactantii et Ambrosii locos ad eundem Galeni Stoicum tractatum revocari posse, quo demonstratur cum cetera animalia tum hominem corporis indolem perfectam accepisse. Ex quo tractatu nos complura lucrari censeo ad Lactantii et Ambrosii locos similes recte interpretandos et ad verum auctorem referendos. Primum confirmatur utriusque scriptoris disputationis fundamentum Stoicam naturalem philosophiam esse. Praeterea Galeni enarratio Brandtio, qui existimat Lactantii capita 2, 5, 7, 8, 10, 13 ex uno fonte fluxisse, subsidium haud spernendum adfert. Omnia enim Galeni exempla modo allata in haec ipsa capita cadunt, quae Brandtii sententia ex Hermetico auctore desumpta sunt. Quibuscum capitibus etiam Ambrosium saepius perspicue consentire supra agnovimus. Nobis iudicantibus Ambrosii et Lactantii Stoicas partes eam ob rem artius coniungendas esse nunc Galenus succurrit. Nam observavimus eum nonnumquam cum eisdem Ambrosianis partibus conspirare, quae Lactantii Hermeticis capitibus respondent. Itaque ea, quae ex utriusque scriptoris locis similibus concludi posse censeo, his verbis comprehendam: Lactantius et Ambrosius compluribus locis ad communem auctorem Stoicum redeunt, quem Graece scripsisse ex Nemesii et Galeni testimoniis evincitur. Ex hoc auctore fluxerunt eae Lactantii partes, quas Brandt Hermetico auctori assignavit, in Ambrosii tractatu inde originem duxerunt ea, quae exponuntur in paragraphis 54, 56, 65—67, 68 (in extrema parte), 69, 70 (in priore parte), 74.

Postquam demonstravimus magnam Ambrosianae expositionis partem ex Stoico auctore depromptam esse, tractanda restant ea, quae in paragr. 55 enarrantur. Qua in parte num Ambrosius eodem fonte usus sit, pro certo diiudicari non potest, quod apud scriptores supra adhibitos loci similes non reperiuntur. Tamen persuasum habeo hunc quoque tractatum

ad Stoicum auctorem redire. Quae opinio compluribus argumentis commendari mihi videtur. —

Ambrosius in hac parte ostendit hominem esse tamquam microcosmum, quod eius caput eodem modo supra reliquos artus emineat atque caelum supra elementa. Ex hac corporis arce, in qua regalis quaedam sapientia habitet, ceteris membris vigorem et providentiam deferri. Caput habere imperialem quandam potestatem, qua omnes corporis partes regantur et fulciantur. —

Ambrosius, cum tam diserte capitis praestantiam laudet, aperte illud *ἡγεμονικὸν* respicit, quod omnis motus fontem[1]) et totius corporis dominum atque rectorem[2]) esse Stoici voluerunt Hanc summam animae partem in capite locatam esse refert Plutarchus Plac. philos. IV, 21. *Οἱ Στωϊκοί φασιν εἶναι τῆς ψυχῆς τὸ ἀνώτατον μέρος τὸ ἡγεμονικὸν . . . καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσιν . . . Αὐτὸ δὲ τὸ ἡγεμονικὸν ὥςπερ ἐν κόσμῳ κατοικεῖ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ σφαιροειδεῖ κεφαλῇ*[3]). Ex quo Plutarchi loco etiam intellegitur, cur Ambrosius caput cum praestantissimo elemento, scilicet caelo, comparet. Stoicis enim placuit ut in corpore humano ita in mundo illud *ἡγεμονικόν*, i. e. caelum, inter elementa principem locum obtinere, cf. Diog. L. VII 137 sqq: *τὰ δὴ τέτταρα στοιχεῖα εἶναι . . . ἀνωτάτω μὲν οὖν εἶναι τὸ πῦρ, ὃ δὴ αἰθέρα καλεῖσθαι . . . οὕτω δὴ καὶ τὸν ὅλον κόσμον ζῷον ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικόν, ἔχειν ἡγεμονικὸν μὲν τὸν αἰθέρα . . . Χρύσιππος καὶ Ποσειδώνιος ἐν τῷ περὶ θεῶν τὸν οὐρανόν φασι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου.* Praeterea Ambrosius, cum dicat

---

[1]) *πάσης γὰρ φύσεως καὶ ψυχῆς ἡ καταρχὴ τῆς κινήσεως γίνεσθαι δοκεῖ ἀπὸ ἡγεμονικοῦ, καὶ πᾶσαι αἱ ἐπὶ τὰ μέρη τοῦ ὅλου ἐξαποστελλόμεναι δυνάμεις ὡς ἀπό τινος πηγῆς τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐξαποστέλλονται* (Sext. Emp. Adv. math. IX, 102).

[2]) *Οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς . . . λοιπὸν τὸ ἡγεμονικὸν ὡς ἂν ἄρχοντος χώραν ἔχειν ὑπετίθεντο, τὰ δὲ ἄλλα μέρη ἐξ ὑπηρέτου τάξει ἀπεδίδοσαν, ὥστε τὸ αὐτὸ ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένων συνεστάναι* (Stob. Ecl. I 836).

[3]) Quamquam alii Stoici mentis sedem in pectore esse cogitabant, cf. Zeller Philos. d. Gr. III[3], 1, p. 187.

elementa esse quaedam membra mundi, eiusdem sectae placitis respondet. Nam cum Stoici totum mundum corpus, quod unitate devinctum nihil inane in se contineret, esse contenderent, singulae eius partes sane membra vocari potuerunt. —

Quae cum ita sint, Ambrosium in hac quoque enarratione, quam ipse haud dubie uberiore verborum ornatu distinxit, ex Stoico auctore, fortasse eodem, quo supra usus erat, pendere existimo.

---

§ 6.

De Cicerone et Xenophonte Ambrosii auctoribus.

In Ambrosii fontibus indagandis usque eo progressi sumus, ut tres auctores principales clare discerni possint: Galenus, Apuleius, Stoicus auctor, quibus Ambrosius plurima eorum, quae non ex libris sacris desumpta sunt, debet. Quibus enucleatis relinquitur, ut de duobus auctoribus, Cicerone et Xenophonte, ex quorum enarrationibus ad idem argumentum pertinentibus Ambrosium nonnulla excerpsisse et in suum tractatum recepisse Schenkl adnotat, breviter agamus. De his auctoribus eo facilius iudicare poterimus, quod eis talia tantum ascribi possunt, quae apud auctores principales non leguntur. —

Incipiamus a Ciceronis tractatu[1]), quo argumentandi causa iterum iterumque iam usi sumus. Ac certe mirum fuisset, si Ambrosius, utpote qui in deliciis haberet suam orationem Ciceronianis verbis dictionibusque exornare[2]), eius Stoicam enarrationem prorsus neglexisset. Tamen nos caute de locis Ciceroni ascribendis iudicare necesse est, quod supra comprobavimus Ambrosium etiam talem auctorem Stoicum consuluisse, qui multa simillimo modo atque Cicero exposuit, quin etiam fontium cognatione cum eo coniunctus erat. Quam

---

[1]) De nat deor. II 133—153.
[2]) cf. Schenkl praef. p. XV—XVI.

lubricum sit de hac re disceptare ex uno exemplo intellegas. Schenkl adnotat Ambrosium in paragr. 67, ubi exstat „lingua enim velut plectrum loquentis et quaedam edentis est manus. . .“ Ciceronem imitari, qui linguam eodem modo cum plectro comparat, cf. l. c. § 149 „lingua vocem immoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.“ Consentire quidem Ambrosium cum Cicerone patet, sed dubito an vere hoc auctore usus sit. Supra enim ex Lactantio conclusimus Ambrosii Stoicum auctorem, quem in tota illa expositione secutus est, pari modo de lingua et ore disputasse. Praeterea ex Nemesio, qui mirum in modum cum Cicerone concordat, evincitur hanc comparationem iam apud illum Graecum auctorem exstitisse, cf. Nemes p. 210: *ἐν τούτῳ (στόματι) γὰρ διαπλάττεται καὶ σχηματίζεται καὶ οἱονεὶ μορφοῦται ἡ διάλεκτος· τῆς μὲν γλώσσης καὶ τοῦ γαργαρεῶνος πλήκτρου λόγον ἐπεχόντων· τῆς δὲ ὑπερῴας, ἠχείου. τῶν δὲ ὀδόντων καὶ τῆς ποιᾶς τοῦ στόματος διανοίξεως, ὡς ἐν λύρᾳ, τὴν τῶν χορδῶν ἀναπληρούντων χρείαν, συντελούσης τε καὶ τῆς ῥινὸς πρὸς εὐφωνίαν ἤτοι κακοφωνίαν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν ᾀδόντων.* Ex quo exemplo apparet in Nemesii fonte exstitisse linguam plectri munere fungi. Itaque mihi quidem probabilius est etiam Ambrosium, qui in illa parte simili eruditione nititur atque Cicero Lactantius Nemesius, in hac re Stoicum illum auctorem imitari. —

Praeterea ex alio exemplo tibi persuadeas, quam difficile nonnumquam sit, de Ambrosii eruditione Ciceroniana recte iudicare. In eadem enim paragrapho Ambrosius de vocis usu scribere pergit „vox quoque aeris quodam remigio vehitur . . . nunc commovet, nunc demulcet audientis adfectum, iratum mitigat, fractum erigit, solatur dolentem“ ubi iterum manifesto consensu cum Cicerone concordat, qui in simili sententiarum nexu exhibet (148): „Jam vero domina rerum, ut vos soletis dicere, eloquendi vis, quam est praeclara

quamque divina! . . . hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque restinguimus . ." Habuitne Ambrosius hunc Ciceronis locum ante oculos? Hoc diiudicare non audeam, praesertim cum ipsa verba, quae Ambrosius alioquin studiosissime arripuit, cum Ciceronianis minime congruant. —

Sed alio loco Ambrosius haud dubie Ciceronis vestigia persecutus est. In paragrapho 60 enim, in qua fere omnes res tractatas e Galeni scriniis deprompsit, oculos altissimum locum sibi poscere his verbis exprimit „nobis autem in summa corporis parte constitui oculos oportuit tamquam in arce . ." ubi arcis vocem, quae in Galeni tractatu deest, aperte ex Ciceronis loco simillimo arcessivit (140) „Sensus autem interpretes ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios et facti et conlocati sunt. Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent." Hoc loco Cicero oculorum situm aptissimum similiter laudat atque Galenus, qui eos pari modo cum speculatoribus comparat[1]). Itaque facile perspicitur, cur Ambrosius in imitando Galeno huius enarrationis Ciceronianae, ex qua arcis vocem eripuit et in Galeni sententias transtulit, statim recordatus sit. —

Denique unum locum ex Cicerone petitum subiciam. In paragrapho 58, in qua Ambrosius Apuleium imitatus[2]) de superciliis disputat, hoc auctore uberius scribit „si quid enim de capite sordium decidat aut harenae pulvis aut ros nebulae aut umescentis verticis sudor, excipitur supercilio." Quo loco Ambrosius haud dubie iterum Ciceronem respicit, qui superciliorum usum simili modo praedicat (§ 143): „Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite et fronte defluentem repellunt." Apparet Ambrosium hoc quoque Ciceronis exemplo usum esse, ut auctoris principalis sermonem aridiorem amplificaret et exornaret. —

---

[1]) cf. p. 20 h. opusc.

[2]) cf. p. 33 h. opusc.

Duobus aliis locis, quos Schenkl affert, Ambrosium ex Cicerone pendere negem. Nam in paragr. 60 p. 251 v. 2 Ambrosius non Ciceronem, sed Galenum secutus est[1]), et in paragr. 67 p. 255 v. 4 Ambrosius minus Ciceronem quam Apuleium respicere videtur[2]).

Alia exempla e Cicerone deprompta non inveniuntur. Quo in auctore imitando Ambrosium longe aliter versatum esse atque in ceteris auctoribus tractatis facile intellegitur. Totas enim Ciceronis sententias numquam reddidit, immo sola verba raro ita usurpavit, ut aliorum auctorum exemplis splendorem et amplitudinem adderet. —

Ad finem breviter agamus de Xenophonte, cui Ambrosium nonnulla debere Schenkl censet. —

Xenophon in Comm. Socr. I c. 4, ubi Socratem cum Aristodemo de corporis et animi virtutibus sermocinantem inducit, deorum providentiam et peculiarem rerum humanarum curam explicat. Quo in colloquio cum demonstrare studeat hominem omnium animalium perfectissimum et optima corporis natura praeditum esse, hanc philosophandi rationem ab Ambrosii consiliis alienam non esse patet. Multa in hoc capite eximie concordant cum eis, quae Ambrosius in suo Stoico fonte simillimo modo descripta invenit. Ut exempla afferam: In paragr. 11 Socrates exponit homines ea de causa a deis rigidos et erectos factos esse, quo facilius procul et sursum spectare possent. Eodem loco dicit omnibus animalibus pronis pedes tantum datos esse, homini vero manus, quibus adiutus plerasque res ad beate vivendum necessarias sibi parare posset. Deinde vocis beneficium laudat, quod soli homines acceperint. — Vel ex his exemplis intellegitur hanc naturalem opinionem ei, quae in Ambrosii Stoicis partibus occurrit, optime respondere.

Cum accedat, quod in singulis quoque rebus nonnumquam manifestus consensus inter utrumque scriptorem intercedit,

---

1) cf. p. 20 h. opusc.

2) cf. p. 35 h. opusc.

Schenkelio persuasum est Ambrosium, cum de corpore humano scriberet, huius ipsius Xenophontis enarrationis recordatum esse. Ut ita iudicaret, inprimis uno loco commotus est, quo illud ex transverso ostium aptissime collocatum esse legimus, cf. c. IV § 6. *ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποχωροῦντα δυσχερῆ, ἀποστρέψαι τοὺς τούτων ὀχετοὺς ᾗ δυνατὸν προσωτάτω ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων· ταῦτα οὕτω προνοητικῶς πεπραγμένα ἀπορεῖς* .... Simili modo Ambrosius hanc corporis partem convenienti loco constitutam esse exponit (§ 72): „hoc ergo significat dominus, quod ostium ex posteriore sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. decore enim creator noster ductus reliquiarum a vultu hominis avertit, ne dum curvamur, inquinaremus aspectum".

Videmus Ambrosium, etsi errore ductus illum Xenophontis locum pro Platonico habuit[1]), tamen loci sensum fere integrum reddere. Itaque quaestio exsistit verene scriptor ipsius Xenophontis locum tam similem ante oculos habuerit. Id quod mihi quidem valde dubium esse concedo. Primum enim hoc loco tantus consensus, quantum supra inter Ambrosium et auctores adhibitos observavimus, minime deprehenditur, praeterea omnibus numeris probabile est etiam Stoicum illum auctorem, ex quo Ambrosium plurima mutuatum esse comprobavimus, non tantum simili ratione de his rebus egisse, sed etiam aliquo cognationis vinculo cum Xenophonte coniunctum fuisse. Cum enim fere idem consensus inter Ciceronis tractatum Stoicum et Xenophontis caput conspiciatur, viri docti concluserunt complura eorum, quae Xenophon praebet, per Stoicum fontem ad Ciceronem fluxisse[2]). Unde nos, cum exploratum sit Ambrosium simillima eruditione niti atque Ciceronem, rectius colligere censeo scriptorem illo loco non ex ipso Xenophonte, sed ex eodem auctore Stoico, quo ante usus erat, pendere. Hoc modo etiam ille error, quo deceptus Am-

[1]) Hoc Schenkl recte conclusit ex Ambr. De Noe 8, 24, ubi Ambrosius eadem sententia fere ad verbum repetita dicit „Socrates in libro Platonis dixisse legitur".

[2]) cf. Schwenke, Jahrb. f. kl. Phil. 119 (1879) p. 189, praeterea cf. Brandt Stud. Vindob. l. c. p. 279 adn.

brosius Platonis nomen pro Xenophontis posuit, facilius explicatur. Nam cogitari potest Ambrosium apud auctorem suum solius Socratis nomen invenisse, quem locum male interpretatus amplificaverit in „Socrates in libro Platonis dixisse legitur“[1]).

Quibus expeditis pervenimus ad finem inquisitionis nostrae, qua demonstratum esse puto Ambrosii tractatum ex compluribus fontibus conflatum esse. Plurima hausit ex Galeno, Apuleio, Stoico auctore, nonnulla additamenta ex Basilio et Cicerone adiecit. Adde poetarum locos a Schenkelio adnotatos, quos Ambrosius orationis excolendae et eleganter perpoliendae causa in sententias inspersit, ut distinctam scriptoris narrandi rationis effigiem habeas. Omnes auctores, quos adiit, id spectabant, ut corpus humanum perfectum et omnibus virtutibus ornatum esse demonstrarent. Quam bonam huius naturalis philosophiae imaginem ex Ambrosii expositione recuperemus, ineunte hac disquisitione ostendimus. —

Sed quid denique de Suetonio? Postquam omnes Ambrosianae enarrationis partes accurate perscrutati sumus, pro certo affirmare non dubito Ambrosium huic auctori nihil debere. Suetonius erat scriptor, qui grammaticorum praecepta etiam ad describendum corpus humanum — ut verum sit eum de corpore sano scripsisse — transtulit et doctas verborum explicationes et derivationes adhibuit[2]), qualis eruditionis nulla vestigia apud Ambrosium reperiuntur. Minime autem demonstrari potest Suetonium Stoicorum physicam rationem secutum de corporis humani perfectione egisse. —

---

[1]) Si hac de re recte iudicavimus, sequitur ut Ambrosius etiam in l. V § 80 p. 165 non ex Xenophonte ipso, sed ex eodem auctore Stoico, quo in describendo corpore humano usus est, hauriat. Alia exempla in censum non veniunt, nam eo loco, quem Schenkl praeterea Xenophonti ascribit (l. VI § 58 p. 249), Ambrosius minus cum hoc auctore quam cum Cicerone et Apuleio consentit.

[2]) Hoc etiam ex parvis illis exilibusque reliquiis (Reiffersch. frgm. 170—178) colligere licet.

Tabula argumenti.

VITA.

Natus sum Guilelmus Gossel a. d. V. Kal. Sept. anni 1885 in oppido Wilhelmshaven patre Arnoldo, matre Henni e gente Gerhardi, quos ambos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus per novem annos frequentavi patriae gymnasium regium, quod nunc quoque Zimmermanno rectore floret. Vere anni 1904 maturitatis testimonium adeptus hanc litterarum sedem adii, ubi per novem semestria philologis potissimum studiis operam navavi. Docuerunt me vel adhuc docent viri illustrissimi de Bahder, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Buchholz, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Immisch, Jungmann, Köster, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marx, Seeliger, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth †, Wilcken, Wundt. Proseminario philologo Immischii et Martinii auspiciis interfui, seminari philologi fui sodalis ordinarius per ter senos menses moderantibus Lipsio, Marxio, Bethio, Heinzio, historici moderante Wilckenio per tria semestria. Praeterea aditum mihi patefecerunt Buchholz ad proseminarium historicum, Gardthausen ad exercitationes historicas, Seeliger ad seminarium historicum. Denique ad exercitationes metricas me admisit Marx, ad seminarium paedagogicum Jungmann. Quibus praeceptoribus omnibus maximas habeo gratias. Praecipue vero cum Marxium et Lipsium tum Richardum Heinze et Bethium, qui studia mea benignissime foverunt, pio gratoque animo semper colam.

Denique dulci amicorum consuetudini in philologorum thiaso Lipsiensi multa me debere laetus profiteor.

TYPIS REINHOLDI BERGER LUCKAENSIS